DEFENSIO STATVTI TOLETANI A SEDE APOSTOLICA ſæpè confirmati, pro his, qui bono & incontaminato genere nati ſunt: Auctore Didaco Velaſquez, in vtroque iure Laureato.

262
(46)
V490l

Opus iterum editum, & multis additamentis locupletatum.

este libro compuso el dor Dº Breton de Simancas cathedratico de Vispas de leyes en la Universidad de Valld y collegial de Santa Cruz aunque se imprimio debaxo de otro nombre, adviertelo el dor Pº de Salazar y mendoça en la Coronica del gran cardenal lib. 2º cap. 32



ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini, Architypographi Regij.
M. D. LXXV.

Libreria del Collegio ma.
29

Digitized by Google

DE TOLETANO STATVTO, ET APOLOGIA QVADAM:

CAPVT I.

ANNO præterito quadrageſimo ſeptimo Ioannes Siliceus Archiepiſcopus Toletanus decreto ſiue ſtatuto vetuit, ne ij, qui ex circunciſione ſunt, aut ex Mahumetanis, vel hæreticis nati, beneficia & officia deinceps in eadem eccleſia habere poſſent. Cùm autem ea res multos tangeret, itum eſt ad Romanam & Regiam curiam, & magnis contentionibus agitata; receptum tandem vtrobique ſtatutum fuit. Itaque tunc ea tempeſtas ſedata eſt.

Sed quia nunc iterum eam camarinam noui Chriſtiani ex Hebræis nati mouere non deſinunt, & multis machinis ſtatutum impugnant, ac ſummo Pontifici eiuſque miniſtris fucum facere tentant, operæpretium me facturũ putaui, ſi controuerſiam hanc penitiùs tractauero, & argumenta eorum omnia quãta fieri poterit breuitate diſcuſſero.

Interim tamen de apologia quadam

huc pertinente paucula ſunt dicenda.
Scripſit alienigena quidam (cuius nomini parco) apologiam valde prolixam in Archiepiſcopum Toletanum, in qua fingit ſtatutum fuiſſe factum ab eo ſimul cum Hiſpaniarum epiſcopis, & alia falſa teſtimonia multa contra ſtatutum ſcribit, quorum ne vnum quidem verbum in ſtatuto inuenias.

Deinde, cùm ſemper fere extra chorum ſaltet, quicquid in buccam venit effutit, ac diſparata minimeque cohærentia congerens, multis conuiciis Hiſpaniarum primatē, & epiſcopos omnes afficit; ac tam malè malam cauſſam agit, vt & ſi non mala foret, ipſe tamen eam perdere potuiſſet, nihil verius dicens, quàm id, quod ille ſibiipſi ex perſona noſtratium his verbis obiicit; furibūdus debaccharis, furis, & inſanis.

Egregius patronus clientes ſuos nunc Iudæos ſine additamento, nunc Iudæos bonos, nunc Iudæos Chriſtianos, nunc Iudæos conuerſos, ſemper tamen Iudęos vocat; eoque nomine ſe eos valde honorare putat.

Sed quid ni putaret id homo, qui Rabinos vehementer laudat, quique prope finem apologiæ ita ſcribit: Hoc tibi Archipaſtori meritiſſimo, ac vobis dominis

meis

meis omnibus Hiſpaniarum Præſulibus, & ingenij noſtri, & indefeſſi laboris, non ſegnile opus aduerſus ſancitum veſtrum decretum expoſuimus, in eo abſque timore ſæpè laudauimus Iudæos, eos prę- ſertim, quorum nunc per ſuſceptionem baptiſmatis fuere candida veſtimenta. Hæc ille.

Iam verò cùm ſtatutum cauſſa cognita confirmatum ſit à ſummis Pōtificibus Paulo tertio, Iulio tertio, & Paulo quarto; & cùm alia ſimilia ab aliis quoque Pontificibus maximis approbata ſint; videlicet ſtatutum Pacenſe à Iulio ſecundo, nouæ Regum capellę Toletanę à Clemente ſeptimo, Legionenſe à Pio quarto, Cordubenſe à Paulo tertio: Abeat Gallus ille in ſterquilinium ſynagogæ, ac ſinat Hiſpanos bonis legibus & moribus vti.

DE IVDÆIS QVI FVERVNT *ante legem Euangelicam.* Cap. 2.

CVM hæc diſputatio tota propter eos orta ſit, qui ex Iudæis circunciſis deſcendunt, non erit alienum pauca quædam de Iudæis ipſis dicere. Multa quidem ſcripta ſunt in laudem veterum Iudæorum, ſed præcipua referam ex ſacris litteris, ac primùm in Deut. inquit Moyſes: Hæc eſt veſtra ſapientia & intellectus Cap. 4.

Digitized by Google

coram populis, vt audientes vniuerſi præcepta hæc, dicant: En populus ſapiens & intelligens, gens magna; nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris: quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, vt habeat cærimonias, iuſtaque iudicia, & vniuerſam legem quam ego proponam hodie ante oculos veſtros? Et in Pſal. Dauid ait: Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſraël poteſtas eius. & alibi: Non fecit taliter Deus omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Et ne longum faciam, Chriſtus Deus noſter dixit: Salus ex Iudæis eſt. Quamobrem ipſum Iudæi nomen magnum quiddam eſſe tūc videbatur, veluti nunc eſt nomen Chriſtianorū; vt eſt apud Oecumenium in epiſtolam Pauli ad Ro. Sed eo ipſo tempore quo in honore magno erant, plurima in libris ſacris contra pleroſque illorum ſcripta inuenire licet: Quia (vt in Eccleſiaſtica hiſtoria ſcribit Nicephorus) in eo genere raros quidem illos, ſed tamen in Deum amore, iuſtitia & cæteris virtutibus excellentes viros fuiſſe publicis ſcriptorum monumentis teſtatum eſt.

Pſal. 118. *Pſal. 147.* *Ioan. 4.* *Cap. 2.* *Lib. 1. c. 5*

DE IVDÆIS QVI ERANT *Chriſti tempore. Cap. 3.*

QVO

Digitized by Google

QVO tempore Chriſtus Deus noſter cum hominibus conuerſatus eſt, multi ex Iudæis fuere ſancti, & hi præcipuè quos ipſe elegit, cognati eius apoſtoli, diſcipuli, atque alij qui in eum crediderunt; ſed reliqui omnes qui in Iudaica perfidia perſtiterunt, Chriſtum Dominum occiderunt, apoſtolos, diſcipulos & Chriſtianos omnes vbiq. perſecuti ſunt. id quod non ex ſacris litteris tātum, ſed ex eccleſiaſticis hiſtoriis compertiſſimum eſt. Sed id ſolum referam, quod eſt apud Oecumenium in ſcholio epiſtolæ Pauli ad Romanos, cuius hæc ſunt verba: Priuſquam Paulus Romam accederet, admoniti erāt Iudæi, ne prædicationem de Chriſto ſuſciperent; nec ſoli ipſi, ſed & omnes qui vbique locorum agebant. Verùm vnde id manifeſtum eſt? Inuenimus in veterum commentariis, quòd Sacerdotes & Scribæ ac Seniores, qui Hieroſolymæ habitabāt, exaratas litteras ad omnes nationes tranſmiſerant Iudęis, vbicūque terrarum diſperſi eſſent, Chriſti doctrinam calumniantes, tanquam à Deo alienam; atque epiſtolis admonebant, ne illam ſuſciperent. Hæc ibi.

De perfidia verò illorum Iudæorum poſſem dicere multa, ſed breuitatis cauſſa ſolo Diuo Gregorio contentus ero, qui in

Digitized by Google

Hom. 10. *ſup. euang.* die Epiphaniæ ſic inter alia concionatus eſt : In omnibus ſignis, quæ vel naſcente Domino, vel moriēte eo monſtrata ſunt, conſiderandum nobis eſt, quanta fuerit in quorundam Iudæorum corde duritia, quæ hunc nec per prophetiæ donum, nec per miracula cognouit ; omnia quippe elementa auctorem ſuum veniſſe teſtata ſunt : Vt enim de his quiddam vſu humano loquar, Deum hunc cæli eſſe cognouerunt, quia protinus ſtellam miſerunt; mare cognouit, quia ſub plantis eius ſe calcabile præbuit : terra cognouit, quia eo moriente contremuit; ſol cognouit, quia lucis ſuæ radios abſcondit : ſaxa & parietes cognouerunt, quia tempore mortis eius ſciſſa ſunt : Infernus agnouit, quia hos quos tenebat mortuos reddidit; & tamen hunc quem Deum omnia inſenſibilia elementa ſenſerunt, adhuc infidelium Iudæorum corda Deum eſſe minimè cognoſcūt, & duriora ſaxis ſcindi ad pœnitendum nolunt; eumque confiteri abnegant, quem elementa (vt diximus) aut ſignis, aut ſciſſionibus Deū clamant, qui etiam ad damnationis ſuæ cumulum, eum quem natum deſpiciunt, naſciturum longè antè præſciuerunt; & non ſolum quia naſceretur nouerant, ſed etiam vbi naſceretur.

DE EISDEM. Cap. 4.

HERMIAS Sozomenus in principio Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ita ſcribit: Iam pridem cœpi mecum cogitare, quid cauſſæ eſſet, cur alij homines tam prompto animo fidem in Deum verbum, Iudęi autem tam ægrè & difficulter amplexarentur, præſertim cùm ab initio diuina eloquia ſumma obſeruantia colere didiciſſent, & Chriſtum antequam aduenirer, pro certo aduenturum per prophetas cognouiſſent. & poſt aliqua: Itaque mihi de his rebus cogitanti permirum ſanè videtur, Iudęos non aliis hominibus anteuertiſſe, ſeque ad fidem Chriſtianam prius tranſtuliſſe. Voluiſſem equidem, vt eius rei cauſſas protinus adiunxiſſet. quia tamen eas reticuit, quas inuenire potui, breuiter commemorabo. Vna fuit, quia malè interpretantes ſcripturas diuinas expectabant Meſſiam venturum in priori aduentu, eo modo quo venturus eſt in poſteriori. Altera cauſſa fuit, quia ſperabant, vt Meſſias eis daret multa bona tẽporalia, quorum illi ſemper fuerant, & ſunt cupidiſſimi. Tertia, quia credebant Meſſiam regem venturum cum exercitu magno, & omnes introducturum in terram affluentem auro & argento, & cunctis nationibus eos eſſe prælaturum. Quarta, quia

Digitized by Google

putabant legem Moyſis, cùm data eſſet àb ipſo Deo, perpetuò duraturam: cuius cõtrarium docuit verus Meſſias Chriſtus Dominus; quinetiã cum eius morte ſimul mortua fuit lex Moyſis. Quinta, quia non credebãt Meſſiam eſſe Deum & hominem. Sexta, quia cùm eſſent ambitioſi & ſuperbi, Chriſto credere noluerunt, ne viderentur humilis Ieſu diſcipuli ſimul cum eius humilibus diſcipulis, ne ob id irriderentur, aut perſecutionem paterentur; & præſertim Phariſæi ferre non poterant, vt à multitudine Chriſtus plus honoraretur, quàm ipſi. & ne longum faciam, propter plurima eorum peccata excæcati fuerunt, & in amentiam, cæcitatem, & mentis furorẽ inciderunt, quia legem Dei non cuſtodierunt; id quod illis prædixit, & imprecatus eſt Moyſes in Deuteronomio dicens: Si audire nolueris vocem Domini, vt cuſtodias, & facias mandata eius, veniẽt ſuper te omnes maledictiones iſtę, & apprehẽdent te. & inter alia inquit: Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate ac furore mentis.

DE IVDÆIS POST DEI *Chriſti paßionem.* Cap. 5.

POSTQVAM Iudæi perfidi morte turpiſſima & crudeliſſima vitæ auctorem occiderunt, maiore mentis cæcitate percuſ-

percuſſi ſunt, & ira Dei deſcendit in eos, quemadmodũ Dauid prædixerat his verbis: Effunde ſuper eos iram tuam,& furor iræ tuæ comprehendat eos; quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt. & quia Dominum occiderunt, peruenit ira Dei ſuper illos, vſque in finem, vt ait apoſtolus. ipſi autem ſuos etiam poſteros eiſdem pœnis ſubiecerunt, dicentes: Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. De quo Diuus Cyprianus de Reſurrectione Christi eleganter loquens dicit: Nec ſuſtinuit intueri mundus perfidiæ Iudaicæ ſcelus, & viſa ſunt inſenſata elemẽta ſenſu vti abundãtiore quàm homines, quibus ſecundũ naturam ratio inerat, & crudeliores extitere feris abutentes intellectu: in tantum Christi ſanguinem ſitientes, vt ſeipſos maledictione æterna damnarent, & in paruulos ſuos anathematis illius reliquias immobili ſtabilimento firmarent. ſed & ſi multi ad fidem Chriſti conuerſi fuerint, in reliquis tamen illa excæcatio durat, quia conſentiunt parricidio maiorum ſuorum, & ratum illud habent, & Chriſtum Dominum ipſi hodie occidere vellent.

Perfidi homines & ſtupidiſſimi ſi noſtris credere nolũt, ſaltem credant Rabinis ſuis, qui iampridem veniſſe Meſſiam *Lib. 5. & 11. cũ ſeq.*

veritatis coacti ſæpè fatentur, vt Finus Hadrianus in flagello cõtra Iudæos luculenter oſtendit. Quærentibus autem, vbi nam ſit ille Meſſias, variȩ reſpõdent: quidam dicunt, eum eſſe vltra montes Caſpios, & neminem ad illum trãſire poſſe propter magnum quoddam flumẽ, quod Sabbaticum vocant. Alij eum eſſe Romæ aſſerunt, ibique ſedere in porta cum pauperibus & leproſis; alij verò eum vagari adhuc inquiunt per orbem in paupertate & afflictione, ignotum, miſerum, & abiectum, ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis Iudæorum. nonnulli alij in loco ſemoto atque ſecreto, quoaduſque dabitur ei facultas à Deo redigendi populum Iſraël ad priſtinam dignitatem. Demùm alij dicunt eum eſſe cum angelis Dei, eo modo viuentem, quo Moyſes vixit illis quadraginta diebus, quibus fuit in monte Sinai: & ipſe audiui à viro quodam fide digniſſimo, ſeriò dixiſſe quẽdam Iudȩum, venturum eſſe in Hiſpaniam Meſſiam in figura piſcis per fluuium Bætim, idque eſſe facturum metu Inquiſitorum, ne ab eis comprehenderetur, & comburatur. Nam iſti omnes Meſſiã ſuum nõ Deum, ſed purum hominem eſſe credunt. Sed enim præterire nõ poſſum inſignem illam peruicaciam Ioſephi Iudæi, qui cùm in

ſua hiſtoria antiquitatis fateatur Chri- *Lib. 18.*
ſti miracula & reſurrectionem, & quòd *cap. 6.*
diſcipulis ſuis poſt triduum mortis ſuæ
viuus apparuit, ſecundum Prophetarum *Li. de bel-*
ſcripta, qui hæc & alia innumerabilia de *lo Iudaico*
eo plena miraculis prophetarunt: Et ta- *cap. 11.*
men (vt eſt apud Egeſippum) in eo ipſo quod verum locutus eſt, ita mente deuius fuit, vt nec ſermonibus ſuis crederet, ſed locutus eſt propter hiſtoriæ ſuæ fidem, quia fallere nefas putabat; non credidit propter duritiam cordis, & perfidiæ intentionem.

De postremis Ivdæis. Cap. 6.

Destrvctis Hieroſolymis, Phariſæi & Scribæ qui ſuperfuerunt, magnum quendam Idumæum nomine Mayr ſubornarunt, vt fingeret duplicem legem dediſſe Moyſem, vnam ſcriptam, alteram verò ſecretam, verbo tantùm prolatam, quam appellauit Miſnam, id eſt, ſecundam legem: finxitque omnipotentem Deum ſibi præcepiſſe, vt eam omni populo Hebræorum manifeſtaret propter neceſſitatem, ne [illegible] eretur, quia mult[illegible] Chriſti fidem conuertebantur: & in ea lege multa continentur contra Pentateuchũ, hoc eſt quinque libros Moyſis, quos Thorath,

 id eſt

Digitized by Google

id eſt legem appellant. Deinde poſt trecentos ferè annos, tempore Conſtantini Imperatoris, plurimi Iudęorum Rabini legi illi Miſnæ adiecerunt varias expoſitiones, & confecerunt opus, quòd Thalmud ſuo idiomate, id eſt doctrinam vocant, & eam hodie Iudæi obſeruant: in ea verò doctrina Thalmudica, multa impia & execranda, & fabuloſa Rabini poſuerunt, quorum nonnulla ad eorum confuſionem breuiter commemorabo. Aiunt peccaſſe Deum quia lunam fecerit minorem ſole, & quia luna de hoc iuſtè conquerebatur, dediſſe illi Deum ſtellas pediſſequas; & nihilominus ad expiandum illud peccatum ſtatuiſſe, vt ſingulis menſibus Iudæi facerent ſacrificium de hirco in holocauſtum ſempiternum.

Aiunt prætereà, quòd diuina Maieſtas dolore afficitur, eo quò[illegible]ſtruxiſſet templum, & ciuitatem Hieruſalem, & quòd angore nimio tangitur, in qualibet vigilia noctis rugiens vt leo, & inquiens: Væ mihi, quia deſtruxi domum meam, væ mihi, quoniam combuſſi templũ meum, væ mihi, quia inter gentes ſeruitutis iugo oppr[illegible] meos Iudæos.

Dicunt [illegible] quòd Deus tribus primis horis cuiuſque diei ſtudet in lege Thalmudica; aliis tribus infantes legem illam docet;

docet; aliis tribus mundum iudicat; reliquis tribus ludit & ſolatium capit.

Præterea ſcribunt illi Thalmudiſtæ, quòd nocte Deus equitat ſuper Cherubim, & viſitat atque luſtrat decem octo mille mundos, quos creauerat. Et ne in his ridiculis amplius morer, qui plura delira, vana, ſtulta, & hominibus inſanis & ſtupidiſſimis digna (quales Iudæi ſunt) ſcire cupit, is legat Finum Hadrianum li. 9 Flagelli aduerſus Iudęos, à ca. 5. deinceps.

DE IVDÆIS HISPANIÆ.

Cap. 7.

VENIO nunc ad Iudæos Hiſpaniæ, (qui vtinam nunquam ad eam perueniſſent) nunquid illi meliores quàm cæteri fuerunt? nequaquam; ſemper enim & vbique Iudæi ſibi ſimiles ſunt. de illis nanque hæc ſcripta ſunt in concilio quondam Toletano: Licet in cõdemnationem perfidiæ Iudæorum, numeróſæ antiquorum patrum ſententiæ, ac leges promulgatæ niteſcunt; tamen quia vt prophetale vaticinium narrat, peccatum Iudęæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamãtino, ſuper petram duriores effecti, in obſtinationis ſuæ cæcitate perdurant.

Solent Iudæi (vt Innocentius tertius ait) illam retributionem impẽdere, quam (iuxta vulgare prouerbium) mus in pera, c. Et ſi Iudæos. de Iudæis.

ſerpens

ſerpens in gremio & ignis in ſinu ſuis conſueuerunt hoſpitibus exhibere.

Itaque Toletum ciuitas Hiſpaniæ nobiliſſima atq; fortiſſima, prodita fuit olim à Iudæis, quando Mauri totam Hiſpaniam occuparunt, multaque alia ſcelerata & nefaria in Hiſpania Iudæi perpetraſſe traduntur; nec mirũ id, cùm Thalmud præcipiat Iudæis, vt modis omnibus noceant Chriſtianis, & eorum bona ſurripiant, eoſque decipiant, & ter ſingulis diebus maledicant nobis; vt eſt apud Finum Hadrianum lib. 9. c. 7.

Illud quoque præterire non poſſum, quod idem auctor poſteà memorat cap. 14. decreuiſſe Thalmudiſtas, quòd Iudæus, qui certo die ſeptimi menſis proteſtatus fuerit coram ſuis ſacerdotibus in Synagoga, quòd omnia iuramenta quæ illo anno fecerit in confirmationem pollicitationum & contractuum, vel promiſſionum, ea vult eſſe irrita & inania, & nullius ponderis, vel peccati, ſi ea non ſeruauerit: is poſſit quoſcunque Iudæos & Chriſtianos dolis & fraudibus ſine peccato circumuenire. Quòd ſi Iudęus exigat à Iudæo iuramentum ſub hac forma, Tu iuras legi & Deo ad meũ intellectum, quòd hoc facies, vel dabis, & ſic ille promittit, & iurat; volunt Rabini quòd per illa

Digitized by Google

illa verba (ad meum intellectum) annua illa proteſtatio reuocetur & abrogetur. Si verò promiſerit Iudæus Chriſtiano cum iuraměto ſub eadem verborum forma, inquiunt, proteſtationem illam non eſſe reuocatā, licet ad intellectum Chriſtiani iurauerit Iudæus, eo quòd dicant, Chriſtianos nullum habere intellectum.

DE IVDÆIS EX HISPANIA eiectis. Cap. 8.

PROPTER ſupraſcriptas atque alias cauſſas, & quia adeò creuerat numerus Iudæorum, vt eos Hiſpania tolerare non poſſet, Reges verè Catholici, Fernandus & Iſabella, iuſto cōſilio ab Hiſpania eos expulerunt. cuius rei Ioannes Picus Mirandulæ comes lib. 5. aduerſus Aſtrologos eleganter meminit, his verbis: Non minoribus ferè poſtea tēpora calamitatibus gens Hebræorum obruta eſt, quàm aut ſub Tito, aut ſub Hadriano, pulſis nuper Iudæis omnibus ex tota Hiſpania à Chriſtianiſſimo illo Rege, nūquam certè ſatis laudato, vbi & numero & diuitiis & auctoritate plurimum poterant: qua eiectione nihil vnquam ferè vel triſtius, vel acerbius paſſos ipſi ſe non diffitentur: ita multi naufragio, peſtilentia quàm plurimi, fame maxima pars eorum abſumpti: vt nobis etiā Chriſtianis in tanta cala-

calamitate, in qua diuinæ iuſtitiæ gloria delectabat: homines tamen extrema adeò paſſi, commiſerationem facerent, & dolorem. Hæc ille, c. 12.

Fuerunt autem eiecta (vt quidam ſcribunt) quadringenta viginti millia Iudæorum, alij dicunt fuiſſe centum viginti familiarum millia, præter plurimos, qui verè vel fictè ad Chriſtianam religionem conuerſi permanſerãt in Hiſpania; vt mirum videri queat, tot perfidos, genimina viperarum, ab Hiſpanis hominibus tanto tempore tolerari potuiſſe.

De ivdæis ad fidem *conuerſis*. *Cap.* 9.

Mvlti ex his qui eiecti fuere, & plures alij ne è patria optima pellerentur, fidem Catholicam (vt poſteà conſtitit) ſimulatè amplexati ſunt: Nam cùm tempus eis prę̃ſtitutum eſſet ad deliberãdum, an vellent Chriſtiani fieri, alioquin abirent in malã rem, & perpetuò ab Hiſpania exularent; fama eſt eos conſuluiſſe ſynagogas externas, & ab eis accepiſſe reſponſum, vt fingerent ſe fieri Chriſtianos, quo magis Chriſtianis nocere poſſent; hæc adiungentes: Dabitis operam litteris, & cum theologia veſtra ſubuertetis Chriſtianorum fidem; cum iuris peritia eos expoliabitis; cum medicina eos impunè

impunè occideretis. præterea conſequentes quocunque modo beneficia eccleſiaſtica. Sacramẽtis eorum abutemini, & eccleſias peruertetis; ingreſſi monaſteria, pacem & concordiam perturbabitis: denique artes illas, & officia ſecularia diſcetis, & occupabitis, quibus Chriſtianorum bona ſine labore deuoretis: quę quidem & ſi fortè fabula ficta ſit, rerum tamen exitus declarauit, eam fuiſſe proximam vero: quia plurimi reperti ſunt ſimulatè conuerſi, & in ſua manere perfidia; alij hęreſiarchæ euaſerunt; alij verò legulei, & pragmatici, degluberunt litigantes; alij medici Chriſtianos multos pharmacis venenatis interfecerunt. Ad ſummã, omnia illa perpetrarunt, quæ fama illa ſupraſcripta, ſiue fabula, diuulgauerat. Sed non ſunt prætereunda exempla quædam & vera, & ſcitu digniſſima. Medicus quidam ex illis ficte conuerſis combuſtus fuit ſuperioribus annis in ciuitate Valentiæ; qui cùm domũ rediret, occiſis ęgris Chriſtianis, filij eius dicebãt: Bene veniat vindex. ille verò reſpondebat: Veniat at vindex. ac ſi diceret, veniat bene, & vindex ſit. Alter verò in ea, quã Ciuitatem Regalem vocant, in vngue vnius digiti occultabat venenum, & cum illo tangens pharmaca, interficiebat ægros. Toleti quoque chirurgus

chirurgus in vulnera & cicatrices veterũ Chriſtianorum pulueres venenatos inſerebat, itaque perimebat eos. Poſſem proferre alia ſexcenta, pleni ſunt enim commentarij ſanctæ Inquiſitionis talium exemplorum, ex quibus omnibus, aliiſque multis poſteà cõmemorandis cuiuis perſpicuum eſſe poterit, quamobrem apud nobiles, vetereſque Chriſtianos peius audiant hi, qui ex circumciſione ſunt in Hiſpania, quàm apud alias nationes: & cur aliqua conſtituta ſint in fauorem eorum, qui bono & incontaminato genere nati ſunt, nouis illis Chriſtianis excluſis. Sed iam ad ſtatutum in principio propoſitum reuertamur.

VTRVM STATVTVM TOletanum ſit contra ius diuinum. *Cap.* 10.

AVCTOR Apologiæ pro ſua ſolita moleſtia in prẹfatione inquit, Decretum illud eſſe impium, & à Chriſti dogmate prorſus abhorrens. & iterum ait eſſe impium, & legi diuinæ tanquam ex diametro aduerſans: cuius veſtigia ſecutus quidam ex circũciſione proximis annis è pulpito magnis exclamationibus Romæ dixit, ſtatutum eſſe hæreſim cõtra ius diuinum immutabile: in multis quidẽ acerbiore pœna, quàm ille dignus, quia ille abſens, & litteris, quæ non erubeſcunt,

maximè

Digitized by Google

(maximè cùm ab inuerecũdo ſcribuntur) & neſciens confirmatum eſſe ſtatutum à ſede Apoſtolica, ea verba temerè effutiuit: hic verò in ipſa vrbe ſciens ſtatutum eſſe confirmatum à Pontificibus ſummis, impietatem iſtam confirmare non timuit: cui nõ pauci qui ex illis erant, impudenter adhærebant.

Videamus tamen quibus argumentis errorem ſuũ tueri nitantur: Primò aiunt, omnia fere verba, omnes apices epiſtolæ Pauli ad Romanos, contra hæc noua decreta clamare. Nos verò dicimus, nullum eſſe verbum in tota ea epiſtola, quod iuſta interpretatione contra hæc ſtatuta poſſit afferri.

Paulus quidem apoſtolus nihil minus in ea epiſtola tractat, quàm de rebus hiſce terrenis: eius enim doctrina de ſpiritualibus eſt, componit diſſidium ortum inter illos nouos Chriſtianos, qui ſe putabant meliores aut perfectiores eſſe propter præputium, aut propter circunciſionem. Docet vtroſque diuinus Apoſtolus, apud Chriſtum Dominum nullam eſſe diſtinctionem Iudæi & Græci, nullamque eſſe acceptionẽ perſonarum. quid inde contra ſtatuta, quæ de rebus temporalibus ſunt?

Ad hoc, diſſidentes illi omnes noui Chriſtia-

Chriſtiani erant; quam ob rem nihil alteri Chriſtianitatis habebant, quo alteris præferri poſſent; nec fidem rectam magis æſtimare debebant ex præputio, quàm ex circuncisione: Iam enim Abraham pater erat omnium illorum credentium. imò vtrique fratres erant in Chriſto: atq; adeò in ſpiritualibus, in rebus fidei, & religionis Chriſtiani omnes æquales erant, & ſunt.

Quòd ſi (vt iſti malè interpretãtur) omnes Chriſtiani æquales eſſe debent in honoribus & dignitatibus cõſequendis, & in cæteris terrenis omnibus; iam hodie nulla diſtinctio erit nobilis aut ignobilis, boni aut mali generis, illuſtris aut vilis: denique nullus erit ordo reipublicæ. Abſit autem ab animis fidelium tam iniqua perſuaſio, vt apoſtoli doctrina totius rectæ politiæ formam damnare, aut ſubuertere videatur.

Quòd ſi verba illa, non eſt Iudæus neque Græcus, non eſt ſeruus neque liber, non eſt maſculus, neque femina, Gentilis, & Iudæus, circuncisio, & præputium, Barbarus, & Scytha, ſeruus, & liber; ſed omnia in omnibus Chriſtus; ſi hæc, inquam, & ſimilia verba efficiunt, vt omnes Chriſtiani in rebus temporalibus cunctis æquales eſſe debeant, iam ſeruus & femina, Barbarus & Scytha canonici

Gal. 3.

Toletani

Toletani eſſe debent; & ſtatuta id prohibentia contraria erunt iuri diuino: ac fere nihil erit bene ordinatũ in rebus publicis omnibus. At verò Chriſtianiſmus non affert politiæ ſubuerſionem, neque inordinationis aut confuſionis eſt cauſſa: vt rectè colligit Oecumenius ex priore diui Petri epiſtola, cap. 2.

Eiuſmodi ſunt iſtorum argumenta, ac tam prolixa & confuſa, vt non ſine magno faſtidio legi atque repeti poſſint. ſed vt ea omnia facilè ſubuertantur, animaduertẽda ſunt fallacia temporum, & commiſtio rerum, & cauſſarum omiſſio & callida interpretatio, quibus iſti vtuntur.

Confundunt antiquiſſima tempora eccleſiæ primitiuæ cum temporibus noſtris, in quibus ſtatuta facta ſunt. æquiparant nouos Chriſtianos temporis huius, Chriſtianis vetuſtiſſimis, qui ex Iudęis vel gentibus in initio eccleſiæ fidem Chriſti amplexati ſunt: & vt odioſa reddant ſtatuta, fingunt ea loqui etiam de vetuſtiſſimis illis Chriſtianis omni laude digniſſimis, cùm ſolummodo loquantur de nouis Chriſtianis temporis noſtri.

Confundunt ſpiritualia cum temporalibus (vt iam antè dixi) ac pro eodem habent, arceri à quibuſdam eccleſiaſticis beneficiis, atq; expelli à fide Chriſtiana.

tanta

tanta illis ambitio, tanta ſitis illorum beneficiorum eſt.

Omittunt cauſſas iuſtiſſimas, propter quas ſtatuta facta ſunt, & fiunt; & illam dumtaxat memorant, quòd quia ſunt filij Abrahæ, nec aliam ob cauſſam excluduntur. ſed nos poſtea cauſſas plurimas referemus,

Demùm callidis interpretationibus ſacræ ſcripturæ, aliiſque verſutiis vſi exclamant, ac declamant, & nihil intentatum relinquunt; ſed ſatis nunc fuerit, cætera breuiter attigiſſe, atque id ſolum commemoraſſe, omnia iſtorum argumenta nihil minus euincere, quàm ſtatuta noſtra eſſe contra iura illa diuina, quæ de ſpiritualibus, non autem de rebus terrenis loquuntur. Addo, quòd cùm ea beneficia non ſint ex iure diuino, eorum diſtributio nec aduerſus ius diuinum, nec hæreſis eſſe poterit: hæreſis verò fuerit, credere hæc ſtatuta hæretica eſſe, quę à ſede Apoſtolica terque quaterque ſunt confirmata.

De contentione inter Iudæos & Græcos. Cap. II.

In ſtatuti impugnatione hi qui ex circunciſione ſunt, aiunt inter illos nouos Chriſtianos, Iudæos & Græcos, ad quos Apoſtolus epiſtolã ad Romanos ſcripſit,

non

Digitized by Google

non fuiſſe contentionem de rebus ſpiritualibus, ſed de honore & præſtantia, dum alij aliis anteponi & præeſſe vellent: adduntque id ſanctos Doctores declarare expreſsè, atque omni ratione & auctoritate carere cõtrarium; legi equidẽ diligẽter vigintiquinq. interpretes ſanctos & doctos ſuper illam epiſtolam Pauli, & neminem inueni dicentem fuiſſe contentionem inter illos, quia alteri præeſſe vellent alteris: quamuis plerique ſcribant, quòd Iudæi ſe Gentilibus præferre volebant, ſed Gentiles eos aſpernabantur; Iudæos autem & Gentiles adhuc vtroſque appellabant, & ſi iam Chriſtiani eſſent, vt ſolo nomine vtrorumque genus cognoſceretur: & nos quoque eiſdem nominibus nonnunquam vtimur.

Quidam ex circuncisione iam antea in Iudæa arbitrabantur, gratiam Euangelij peculiariter Abrahę poſteris promiſſam, & nõ eſſe propagandã ad Gentes, & diſceptabant aduerſus Petrum, dicentes: Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis? Sed illi diſciplinabiles fuerunt: nam audito Petro, tacuerunt, & glorificauerunt Deum dicentes: Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. *Act. 11.*

Alij verò deſcendentes de Iudęa doce-

bant fratres, quia niſi circuncidamini ſecundum morē Moyſis, nō poteſtis ſaluari. Surrexerunt & alij de hæreſi Phariſęorum qui crediderant, dicētes; quia oportet circuncidi eos, præcipere quoque ſeruare legem Moyſis: quo inquietabant eos qui ex gentibus conuertebantur, & turbabant eos verbis euertētes animas eorū. *Act.* 15.

Atque ea quidem ex actis Apoſtolorum planè conſtāt; epiſtola verò Pauli ad Romanos difficilior eſt aliis epiſtolis, quia elocutionibus vtitur confuſis, & minus explicitis, vt ait Origenes, cæteriq́ue conſentiunt. quo factum eſt, vt variis modis ab interpretibus explicetur, neque in ea perſpicuè pateat, quæ fuerint ea omnia de quibus Iudæi & Græci tunc diſceptabant.

Diuus Auguſtinus, Epiſtola, inquit, quam Paulus apoſtolus ſcripſit ad Romanos, quantum ex eius textu intelligi poteſt, quæſtionem habet talem: Vtrum Iudæis ſolis euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti venerit propter merita operum legis; an verò nullis operum meritis præcedentibus, omnibus gentibus venerit iuſtificatio fidei, quæ eſt in Chriſto Ieſu. & paulo pòſt: Cœperant enim nonnulli, qui ex Iudæis crediderant, tumultuari aduerſus Gentes, & maximè aduerſus

ſus

Digitized by Google

ſus Apoſtolum Paulum, quòd incircunciſos, & à legis veteris vinculis liberos admittebat ad euangelij gratiam, prædicans eis, vt in Chriſtum crederent, nullo impoſito carnalis circunciſionis iugo.

Haymo & beatus Anſelmus diui Auguſtini interpretationem ſequuntur, adiungentes, quòd Iudæi gloriabantur de ſuis meritis, & nobilitate generis; Gentiles autem licet non præceſſiſſent merita eorum, tamen Iudæos quaſi interfectores Chriſti & præuaricatores legis deſpiciebant, & ſe ignorantia excuſabant.

Ex quibus omnibus duo ſunt obſeruanda; vnum, quòd in ipſo initio naſcentis eccleſiæ Chriſti, illi qui ex circunciſione crediderant, protinus diſceptare cœperunt aduerſus apoſtolos Petrum & Paulum, & contentionibus Chriſtianos cæteros interturbare; alterum, quòd non volebant pellere nos è præbendis, vel dignitatibus eccleſiaſticis, ſed ab ipſo euangelio, vel certè nos iugo veteris legis ſubiicere conabantur: non ergo contentio præcipua erat de rebus temporalibus, ſed de ſpiritualibus & æternis.

Accedit eò diuus Ambroſius, inquiẽs: Sub apoſtolis verò cũ ij qui in Chriſtum ex circunciſione crediderãt, eos qui Gentiles erant, dicebanturque præputium,

 iuſtifi-

Digitized by Google

iuſtificationum gratiæ arbitrarentur participes eſſe nō poſſe; docebat beatus apoſtolus Petrus, quàm indiſcretus apud Deum vterque ſit populus, ſi in vnitatem fidei ambo conuenerint. Hæc ille lib. 2. de vocatione gentium, cap. 7.

QVAS OB CAVSSAS NOVI *Chriſtiani ex circunciſione ſe cæteris præferebant, & contra.* Cap. 12.

DIVVS Chryſoſtomus in epiſtolam ad Romanos ſermone 6. inquit: Iudæi magno ſibi honori ducebant nomen Iudæi. erat enim olim valde honeſtum, quemadmodum nūc eſt Chriſtianorum, & ob id aduerſus Gentes inſoleſcebant: etenim ab ipſa appellatione magna tunc illis erat excellentia.

Idem Diuus ſermone 5. Iudæi ex arrogantia & faſtu non ferebant ſe Græcis annumerari, ac deridebant, ſi quis dixiſſet, omnia per fidem peccata diſſolui. & Sermone 7. Hoc etenim maximè Iudæos perdidit, quòd magna ſentiebāt de ſeipſis, & ibidem poſt multa: Duo erant, quæ illos turbabant; vnum, quòd eos, qui per ipſa opera legis ſaluari non poterant, ſine illis operibus ſalutem conſequi potuiſſe audirent; alterum verò, num æquum ſit, præputiatos ea nactos eſſe, quæ eorum eſſe deberēt, qui in ipſa lege tantum

tempo-

Digitized by Google

temporis educati ſunt: id quod eos priore multò magis turbauit.

Itaque noui illi ex Iudæis conuerſi, qui nondum Iudæorum mores exuerant, arrogantia, faſtu & inuidia pleni Græcos eiicere à lege Euangelica, vel ſaltem cærimoniis Iudaicis eos onerare, ac ſe illis præferre volebant, dicentes ſe eſſe populum Dei electū, ſibi datam eſſe legem, ſibi Meſſiam promiſſum, nec fuiſſe miſſum niſi ad oues, quæ perierant domus Iſraël, ſe eſſe filios Abrahæ. & in eandem ſententiam plura.

At Græci (quo nomine reliqui omnes intelliguntur) è contrario deſpiciebant iſtorum inſipientiam, vtpote edocti, quòd in Chriſto iam ceſſauerant illæ cærimoniæ, & data erat omnibus libertas ab illa ſeruitute. tum quia cùm fuiſſent dona multa ſuis maioribus olim data, & nihil Deus prætermiſiſſet ad eorum beneficentiam, ipſi tamen propria ingratitudine ac improbitate ab omnibus exciderunt. Nam vt magnus Conſtātinus ad Sanctorum cœtum cap. 17. inquit: Nullus illo populo beatior vel fuit aliquando, vel iam eſſet, ſi non animos ſuos à Spiritu ſancto, tanquam abdicatione quadam, abalienauiſſet.

Diuus quoque Thomas in epiſtolam

Digitized by Google

Cap. 11. vers. 3.

Pauli ad Romanos ex perſona Gentilis ita ſcribit: Fracti ſunt rami vt ego inſerar. id eſt, ad hoc Deus permiſit Iudæos à fide excidere, vt ego ad fidem intrarem; nullus autem ſuſtinet detrimẽtum vnius rei, niſi propter rem pretioſiorem & magis dilectam: ſicut medicus permittit infirmitatem eſſe in pede, vt ſaluet oculum. ſic igitur ex hoc videtur Gentilitas eſſe pretioſior, & magis Deo accepta, quàm Iudæa. Vnde Malachiæ primo dicitur: Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus Deus, & munus non accipiam de manu veſtra. Ab ortu autem ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus. & apud Eſaiam cap. 49. Parum eſt, vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob: dedi te in lucem Gentibus. Hactenus ille.

Præterea obiicere poterant Iudæis, quòd maiores eorum grauius peccabant quàm Gentiles: nam Iudæi non ſolum contra legem naturalem, ſed etiam contra legem ſcriptam, quam habuerunt vitæ ducem; Gentiles verò contra ſolam legem naturalem peccabant.

Deinde, quòd Iudæorum dignitas non pertinet ad eos, qui carnaliter proceſſerunt ab antiquis patribus, ſed ad ſpirituale ſemen, quod eſt electum à Deo: Non enim

Digitized by Google

enim omnes qui ex circuncisione ſunt Iſraël, hi ſunt Iſraëlitæ; neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij; neque qui filij carnis, hi filij Dei; ſed qui filij ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine, vt Apoſtolus docet epiſtolà ad Rom. cap.9. Sed fortaſſe non erit iniucundum, illorum altercationem à Primaſio, & Petro Longobardo excogitatam audire, quam mox adiungemus.

De altercatione Iudæorum & Græcorum. Cap. 13.

Primasius diſcipulus ſancti Auguſtini, in præfatione in epiſtolam ad Romanos, hæc ſcripta reliquit: Scribit Apoſtolus quòd ex Iudæis & Gentibus credẽtes ſuperflua contentione volebant ſe alterutrum ſuperponere; dicebãt enim Iudæi: Nos ſumus gens ſancta, quos ab initio Deus dilexit, & fouit; nos ex genere Abrahæ ſtirpe ſancta deſcendimus; nos de Ægypto liberati, mare ſiccis pedibus tranſiuimus: propter nos Pharao cum exercitu ſuo merſus interiit: nobis manna pluit Dominus in deſerto. & cætera, quæ enumerare perlongum eſt. ſolum hoc dicimus, quòd ipſe Dominus, in quo & vos videmini credere, nobis ex lege fuerit repromiſſus; vos autem, qui eſtis gentes ab initio derelictæ, qui nuſquàm

 Dei

Dei notitiam habuiſtis, ſed ſemper dęmoniis deſeruiſtis; æquum ne eſt, vt hodie ab idolis vos conuertentes, nobis cõparemini? & non potius proſelyti ſitis, ſicut ſemper fuiſtis in lege, & hoc ipſum, quia multum eſt miſericors Deus, qui vos voluit ad noſtram imitationem adducere.

Gentes è contrario reſpondebãt, quanto maiora Dei beneficia narraueritis, tanto vos maioris criminis reos eſſe monſtrabitis: quia ſemper his omnibus extitiſtis ingrati, qui poſt Dei vocem auditam, vobis vitulum fabricaſtis. quod & ſi non feciſſetis, ſolo hoc crimine veniam non poteratis accipere, qui Dominũ vobis prophetarum vocibus repromiſſum non ſolum ſuſcipere noluiſtis, ſed etiam occidiſtis; quem nos ſuſcepimus, cùm nobis de eo nemo prædixerit. Quanto ergo ſit noſtra fides melior perſpicuè patet. quòd autem idolis ſeruiuimus, nõ malitiæ fuit, ſed ignorantiæ. denique vbi cognouimus veritatem, ſtatim ſumus ſecuti. Filios autem Abrahæ non carnis natiuitas, ſed fides facit

Petrus quoque Longobardus in eadem præfatione inquit: Initium omnis peccati ſuperbia eſt, quę natione cæleſtis, ſublimium mentes inhabitat, ſub cinere, & cilicio latitans: quæ Romanos adeò occupaue-

enpauerat, vt inter ſe altercantes, & ſe ſibi inuicem præferentes, diſſenſiones & ſchiſmata facerent: Erant enim Romani de Iudæis & Gentibus ad Chriſtum conuerſi. Iudęi autem propter ſanctos patres, à quibus originem ducebant, & propter legem, quam ſoli inter cæteras gentes acceperant, Gentiles credẽtes deſpiciebant, dicentes, propter obſeruantiam legis cui ſeruierãt, meruiſſe accipere gratiã Chriſti, & fidem euãgelij; & propter merita operum legis, ſibi veniſſe euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti. atq. his inflati, Gentibus ſe præferebant, dicentes: Nos de lege Abrahæ ſumus, cui primùm facta eſt promiſſio: nos populus peculiaris Dei ſumus; nos de Ægypto forti manu, & mirabilibus ſignis Dominus eduxit: nos ſicco veſtigio mare rubrum tranſire fecit, in deſerto manna pauit, aquam de petra produxit: & aliis ſub ſilentio relictis, nos ſoli ſumus digni legem Dei accipere, & eius voluntatẽ cognoſcere. Ad nos quoque ſpecialiter Dei filius venit, vt ipſe in euangelio ait: Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël.

Gentiles autem contradicebant: Quanto beneficia plura vobis exhibita memoratis, tanto vos deteriores eſſe oſtenditis. eiſdem ſiquidem pedibus, quibus mare

Digitized by Google

tranſiuiſtis, ante idolum poſtea ſaltauiſtis, quod & proprijs manibus feciſtis; & illo ore, quo paulò ante de ſubuerſione Pharaonis, & Ægyptiorum laudem Deo perſolueratis, idola adoraſtis: præterea manna cælitus datum in deſerto faſtidiſtis, cupientes redire in Ægyptum ad ollas carnium. Sæpe etiam Dominum in iram irritaſtis: ad vltimum, Chriſtum vobis in lege & prophetis promiſſum occidiſtis. Nónne itaque vobis digniores ſumus, qui vt de Chriſto audiuimus, in eum credidimus? Vnde per prophetam Dominus ait: Populus quem non congregaui, ſeruiet mihi, in aurem autẽ obediet mihi. Vnde conſtat, nos non ex malitia, ſed ignorantia deliquiſſe: ſi enim prophetas, aut apoſtolos antè habuiſſemus, idola non coluiſſemus. Quòd autem de geneſis nobilitate vos iactatis, ſi qua taliũ gloria eſt, tunc Iſmaël & Eſau poſſunt pariter gloriari, cùm de eiſdem parentibus ſint nati.

De verbis Apostoli, *non eſt acceptio perſonarum, & conſequentibus.* Cap. 14.

Aivnt hi qui ex circunciſione ſunt, Apoſtolum docuiſſe, ſublatã eſſe in omnibus diſtinctionem Iudæi, & Græci: itaque iam omnes in omnibus æquales eſſe debere;

debere; atque inde fieri, vt excludi nequeant ipſi à beneficiis eccleſiæ Toletanę. Scripſit enim Paulus ad Romanos cap. 2. Tribulatio & anguſtia in omnẽ animam hominis operantis malum, Iudæi primùm, & Græci: gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco: Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum. & in epiſtola priore ad Corinthios, cap. 12. Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi; & omnes in vno ſpiritu potati ſumus. Et in ea, quæ eſt ad Galatas, cap. 13. Omnes filij Dei eſtis per fidem in Chriſto Ieſu: quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non enim eſt Iudæus, neque Græcus; non eſt ſeruus, neque liber; non eſt maſculus, neque femina: omnes enim vos vnum eſtis in Chriſtó Ieſu. Poſtremò, ad Coloſſenſes ſcribit cap. 3. Non eſt Gentilis & Iudæus, circunciſio & præputium, barbarus & Scytha, ſeruus & liber; ſed omnia & in omnibus Chriſtus. Sed ex epiſtolarum lectione perſpicuè patet, Apoſtolum non loqui de dignitatibus aut honoribus mũdi huius, ſed de his, quæ pertinent ad fidem & baptiſmum, & ad induendum nouum hominem. & in eam ſententiam

Digitized by Google

diuini apoſtoli verba interpretātur omnes ſancti & Catholici doctores, tam veteres quàm noui; quorum aliqui adiiciūt, non eſſe diſtinctionem Iudæi & Græci apud Deum, neque in his, quæ attinent ad qualitatem gratiæ, ad ſalutem & miſericordiam conſequendam, ad Spiritus ſancti dona, ad gratias gratis datas, ad ſacramenta neceſſaria, ad animam, & ad ſpiritualia omnia; ſed nullus eorum confundit ſtatus hominum, neque applicat verba Pauli ad euerſionem politicę nobilitatis, neque ad ęqualitatem inęqualem.

Diuus Chryſoſtomus in epiſtolam ad Romanos ſermone 23. colligit ex apoſtolo, Chriſtū leges ſuas non ad hoc induxiſſe, vt politias euertat, ſed vt ad melius inſtituat; igitur diuus Paulus nihil docet aut ſcribit, quod ſit contra ſtatutum propoſitum, ſed altercationē ſupraſcriptam cōponit, modò confutans Iudæos, modò Gentiles, & vtroſque ad concordiam adducens, atque oſtendens omnes peccaſſe, & omnibus veniſſe gratis gratiam fidei, & euangelij Chriſti, & non ſuis meritis. Itaque quidquid ex diuo Paulo colligunt cōtra ſtatutum, vanè & ineptè colligunt; vt ex antedictis ſatis ſuperque conſtat.

De verbis illis, Iudæo primùm & Græco. Cap. 15.

Vsqve eò iam proceſſerat nouorum quorũdam Chriſtianorũ inſolẽtia, vt non ſolùm æquandos veteribus Chriſtianis, ſed etiam eis præferendos ſe eſſe contenderent: idque eo loco apoſtoli probare conabantur, quo ſcribens ad Romanos inquit: Non erubeſco euangelium: Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm & Græcò. Sed vt ab initio Euangelium prius Iudæis quàm Græcis fuerit prædicatum, quid inde colligent noui Chriſtiani, quo veteribus hodie ſint præponendi? *Cap. 1.*

Videamus tamen quo pacto ea verba Doctores explanent. Sanctus Chryſoſtomus inquit: Quare hic dicite Iudæo primùm & Græco? quid ſibi vult illa differentia? Atqui multis in locis dicit, quòd neque circunciſio, neque præputium aliquid ſit: quomodo hic diſcernit, Iudęum præponens Græco? quid nam hoc eſt? Non ideo fit, quòd Iudæus primus ſit, & plus gratiæ accipiat. eadem enim eſt gratia, quæ tam huic, quàm illi datur. Verùm ordinis tantum honor eſt, quod dicit Iudæo primùm: Neque enim Iudęus ita excellit, vt maiorem iuſtificationis gratiam accipiat, ſed in hoc ſolũ honoratur,

Digitized by Google

quòd primus illam accipit. Quemadmodum inter illuminatos, omnes quidem ad baptiſma currunt, verùm non omnes eadem hora, ſed hic primus, hic verò ſecundus; iam qui primus venit, non plus accipit eo, qui ſecũdus accedit; neq. is illo, qui ſubſequitur; ſed iidẽ ſimul omnes potiuntur: quòd itaq. hic dicit, Iudæo primùm, verbi eſt honor, non gratię excellentia.

Diuus Hieronymus primùm, pro quidem ponit, ſiue primũ, credulitatis tempore, non honore.

Theophylactus ibidem; Iudęo primum & Græco: primum, hic eſt ordinis honos, non gratiæ exuberantia. neque plus aliquid Iudęus eſt iuſtitiæ conſecutus, quòd maiora acceperit; ſed quia prior eam ſuſceperit, verbo tenus honoratur.

Primaſius: Iudæi primum, & Græci; primi, quia primò Dominũ agnouerũt: & primi in legẽ grauiùs præuaricati ſunt. vel primùm, pro quidẽ ponit; quia & ipſe dicit, non eſt perſonarum acceptio apud Deum: ſic primum tempore, non honore.

Petrus Lõgobardus cũ Heſychio: Euãgeliũ neceſſariũ eſt Iudæo & Gręco, ſed primũ, id eſt maximè Iudęo; Iudęi enim hãc euãgelij ſalutẽ, & liberationẽ habebãt neceſſariã valde, vtpote etiã alios ſeducẽtes.

Et Hugo: Iudæi enim præcipuè indigebant hac ſalute: quia non credebant in

Chriſtum;

Digitized by Google

Chriſtum;& quia alios ſeducebant: Gentiles verò in ſe peccabant.

Sanct⁹ Thomas: Quantũ ad ſalutis finẽ, omnes æquales; quantũ ad ſalutis ordinẽ, Iudęi primi, quia habuerũt promiſſiones.

Oecumenius: Iudęo primũ, dictio primum, verbi ſolũ honorẽ confert, nõ gratię abundantiã: primũ enim à Iudæo poſtulatur, vt credat, vtpote, qui iã ea, quæ de Chriſto ſunt, ex lege & prophetis edoctus ſit, magis quàm gentes. Pręterea licet ad cõmunẽ generis humani ſalutẽ venerat Chriſtus, tamen inter Iudæos & natus & cõuerſat⁹ fuerat, docuerat, diuinaq. inter eos ſigna operatus erat; propter quæ omnia debitores erãt Iudęi, vt primi in Chriſtũ crederẽt ſuper cæteras gentes. Hęc ille.

Diuus ille Thomas, qui ſtatim iugulum petit, in epiſtolam ad Romanos inquit: A tribus bonis, quæ in Iudæis olim eminebant, gentiles erant alieni: primus erat diuinus cultus, propter quem dicebantur populus Dei, & oues paſcuæ eius. alterum erat priuilegiũ dilectionis; erant enim dilecti à Deo, qui multa illis beneficia conceſſerat. tertia erat libertas à peccato originali, quæ Iudæis in circunciſione conferebatur. & alibi: Iudęi & Gentiles æquales fuerunt, quantũ ad ſtatum culpę præcedentis; & poſtea æquales, quantũ ad ſtatum gratiæ ſubſequentis. ca. 3. lect. 3. *Cap. 9. lect. 5.*

De conversione Iudaeorum, & Gentilium. Cap. 16

Ivdæi qui iuſti erant, ſub lege Moyſis, & legem euangelicam protinus receperunt, hi non poſſunt propriè dici conuerſi; quia id quod expectabant, amplexati ſunt, & nunquam fuerunt perfidi, aut infideles: & hos ego præferendos eſſe crediderim illis omnibus, qui Gentiles erant. & quoties durum quippiam aduerſus Iudæos, vel conuerſos dixerim, toties iuſtos & ſanctos viros exceptos eſſe volo: nunc autem de his ſolis, qui ex prauis Iudæis, & ex Gentilibus conuerſi ſunt, diſputabo.

Ac primùm, cùm Iudæi ſcirent, vnum ſolum eſſe Deum, & cùm haberẽt legem & prophetas, & ſperarent venturum eſſe Meſſiam; multo magis tenebantur Chriſtum Dominũ agnoſcere, & eius doctrinam ſtatim ſuſcipere, quàm Gentiles, quibus illa tota erat noua doctrina, & qui ab vberibus educati in idolorum ſuperſtitionibus, & illis imbuti erant. Quas ob res generoſior fides gentium oſtenditur, ſermonem Dei aſſequentium ſine inſtructione ſcripturarum. vt rectè Irenæus inquit lib. 4. aduerſus hæreſes, cap. 41.

Seriùs tardiusque fidem Chriſti receperunt Iudæi, quàm Gentiles, cùm tamen pluribus,

pluribus, manifeſtioribusque prophetiis de aduentu Chriſti inſtructi eſſent: vt Zozomenus in principio hiſtoriæ eccleſiaſticæ docet, & Chriſtiana religio maximè ex populo gentili creuit, quemadmodum idem auctor ſcribit lib. 3. eiuſdem operis cap. 16.

Sanctus Chryſoſtomus in epiſtolam ad Romanos ſermone 19. inquit: Vt contentionem Iudæorum demonſtret Apoſtolus, non dicit vt perſuadeam, ſed vt ad æmulandum prouocem, ſaluosque reddam. & neque hic dicit omnes, ſed aliquos ex eis; adeò ſcilicet duri erant. In hac autem ipſa increpatione rurſus ſplēdida eſſe, quæ ad Gentes pertinent, oſtendit. licet enim vtrinque alteris alteri ſalutis cauſſam dederint, non tamen eiſdem rationibus ac mediis: Iudæi ſiquidem iſtis ſua incredulitate; iſti verò Iudæis fide ſua bonorum facti ſunt procuratores. vnde videntur quæ Gentium ſunt adæquare, imò exſuperare Iudæos. Quid ergo dices ô Iudæe? niſi nos eiecti fuiſſemus, vos non ſtatim vocati fuiſſetis. Sed hoc quoque qui ex Gentibus eſt, non minore ratione dicit: Niſi ſaluatus eſſem ego, tu ſanè æmulandi cauſſam non habuiſſes. Si verò noles cognoſcere, vnde excellamus etiam, accipe: Ego quidem te credulitate

Digitized by Google

mea ſaluo; tu verò repulſus, priorem nobis ingreſſum ad ſalutem tradidiſti. ac ſi diceret: Tu culpa, & perfidia tua; ego fide, ac virtute mea.

Et Leo magnus de paſſione Domini ſermone 17. Cumq. cuſtos ſupplicij centurio territus iis, quæ viderat, diceret; Verè filius Dei erat homo iſte; impietatem tamen Iudaicam, monumentis & petris duriorem, nulla proditur mitigaſſe compunctio: vt appareat, paratiores ad intelligendum filium Dei tunc fuiſſe Romanos milites, quàm Iſraëliticos ſacerdotes. ſed de his hactenus.

De bvlla Nicolai quinti. Cap. 17.

Proferunt contra ſtatutum Toletanum bullā Nicolai quinti, ex qua colligunt, ſtatutum eſſe contra fidem catholicam, quia inquit, nos à veritate catholicæ fidei aberrantes, ad viam veritatis deducere cupientes. & paulo pòſt: affectantes, vt quisque quæ recta ſunt ſapiat: & qui contra Chriſtianæ legis normam falſa ſeminare, & proximos ſcandalizare, quæ vnitatis & pacis contraria ſunt præſumpſere, & cæt.

Cui primò reſpondetur, eam bullam authenticam non inueniri, ideoque fide carere. Deinde longè aliud fuiſſe, quod

tunc

tunc tractabatur: nam vt in illa ſcriptura (qualiſcunque tandem ſit) continetur, illud eſt, quòd quidam aſſerebant, nouos Chriſtianos, & eorum filios non debere ad honores, dignitates, officia tabellionatus, & ad teſtimonium in Chriſtianorum cauſſis perhibēdum admitti, eos verbis & factis, contumeliis afficientes. hæc ſunt verba illius chartę.

Ex quibus perſpicuum eſt, eos qui illa credebant, & aſſerebant, non de beneficiis quibuſdam eccleſiaſticis, ſed generaliter ac vniuersè de omnibus honoribus, dignitatibus, officiis publicis, atque adeò de teſtimoniis perhibendis egiſſe: nouos Chriſtianos iniuriis etiam afficientes, atque ea quidem omnia non aliam ob cauſſam, niſi quia noui Chriſtiani erant, vt bis in illa papyro relatū eſt, his verbis; propter nouam aſſumptionem fidei. & iterum: propter nouam fidei receptionem. Igitur mirum videri non debet, ſi dicatur illic, eam opinionem erroneam eſſe, nec illos recta ſenſiſſe. In ſtatuto autem noſtro omnia prorſus diuerſa ſunt, nec effici vllo pacto poteſt, vt id hæreſis ſit, quod nihil minus quàm hæreſis eſt.

Poſtremò, illa bulla nominatim in hac parte reuocata eſt à Paulo quarto in confirmatione ſtatuti, his ipſis verbis: Non obſtante

Digitized by Google

obſtante recolendæ memorię Nicolai Papæ quinti, ſimiliter prædeceſſoris noſtri; & aliis conſtitutionibus apoſtolicis. &c.

VTRVM HÆC STATVTA *ſint contra iura canonica, & ciuilia.* Cap. 18.

FATENDVM eſt ea ſtatuta eſſe contra generalia verba quorundã canonum & legum, ſed nõ alio modo illis cõtraria ſunt, quàm exceptiones & limitationes contrariæ ſunt regulis: & quemadmodum tam regulæ quàm exceptiones iuſtæ ſunt, ſic etiã iura generaliter fauentia nouis Chriſtianis; & hęc ſtatuta, quæ multis ex cauſſis eos à quibuſdam beneficiis excludunt, vtraque iuſta ſunt; eo accedente, quòd ſicut iura illa communia facta ſunt à Pontificibus ſummis, ita quoque ſtatuta hæc ſunt confirmata ab apoſtolica ſede.

Atque hac vna veriſſima & euidentiſſima ſolutione omnia iſtorum in hac parte argumenta euaneſcunt. Aiunt iura generalia ſiue etiam quędam ſpecialia eſſe in fauorem ſuum, atque ſuorum: Dicimus & nos, hæc ſtatuta ſpecialia illorum generalitati derogare. Aiunt, decreta & canones à conciliis, & Pontificibus ſummis eſſe facta, & quaſdam leges à Regibus Hiſpanię conditas: Dicimus à ſummis Pontificibus comprobata eſſe ſtatuta, & à Regibus noſtris Catholicis recepta,

&

& eorum approbatione ad effectum perducta: quo etiam efficitur, vt ſanctorum, aut aliorum ſententię generales nihil ſtatutis ſpecialibus obſtent. Adde his, quòd ſancti de ſpiritualibus rebus loquuntur, nihil minus quā de his terrenis cogitātes.

VTRVM SINT STATVTA CONtra practicam Christi & apoſtolorum, ac ſint calamitoſa & damnoſa. Cap. 19.

QVINQVE capitibus eorum, qui contra ſtatuta cōfirmata pertinaciter ſcribunt, breuiter ac ſuccinctè reſpondimus. Nunc venio ad ſextum, quo aiunt, ſtatuta eſſe qualia in quæſtione hac propoſui: qua in re vtuntur fallacia temporis, & cauſſarum; vt eos ſæpè facere iam antea admonui. Quæro ab iſtis, an illis temporibus eſſent Chriſtiani vlli veteres, quos Chriſtus & apôſtoli præferre nouis debuiſſent? non credo fingi tale aliquid poſſe. quid mirum igitur, ſi ex nouis omnibus nouos elegerunt. Præterea noſtra ſtatuta non eos expellunt, qui ex bonis Iudæis olim nati ſunt, qui Chriſti fidem ſtatim amplexati ſunt: quinimo neque de his loquuntur, qui intra mille ducentos, & amplius, annos conuerſi ſunt; horum enim deſcendentes iam vetuſtiſſimi ſunt Chriſtiani: ſed eos ſtatuta excludūt, qui ex perfidis Iudæis, & apoſtatis, non ante

Digitized by Google

ante multos annos magna ex parte ficte conuerſi ſunt: qua ſola diſtinctione corruit fere omnis illa moles apologiæ procaciſſimæ, vnde iſti pleraque argumenta mutuati ſunt.

Quod verò addunt, ſtatuta eſſe calamitoſa & damnoſa; non ita nobis videtur, nec viſum fuit ſummis pontificibus, qui non ſine honorifico præmio ſtatuta confirmant: facile quidem eſt priuatas aliquot calamitates, vel damna confingere; ſtatuta verò (ſicuti rectas leges decet) publicam vtilitatem, & eccleſiarum honorem, & religionis puritatem conſiderant.

VTRVM STATVTA HÆC *derogent Chriſti & apoſtolorum honori.* Cap. 20.

PARTEM affirmatiuam iſti non ſolum impudenter, ſed impiis etiam verbis perſuadere nituntur. ſed audiamus egregia eorum argumenta, quia inquiunt, ignominioſum faciunt, aliqua conſanguinitate benedictam Chriſti humanitatem attingere, qui fuit Abrahæ ſecundum carnem filius; & non angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ: & iſti noui Chriſtiani ſunt de genere Abrahæ. hanc cantilenam didicerunt ex illa apologia, in cuius frontiſpicio ſcriptum eſt: Pro iis, qui

qui ex patriarcharum, Abrahæ videlicet, Iſaac, & Iacob reliquiis ſati, &c. qua etiam ratione dicere poſſunt, ſtatuta derogare honori Noe, & Adæ, atque Euæ, & eorum omnium, qui ex eis ſunt.

Si probarent noui iſti, ſe eſſe ex antiquiſſimis bonis Iudæis, qui Meſſiã, quem exſpectarunt, ſtatim exceperunt, & ex inde ſe à bonis Chriſtianis deſcendere; iuſta eſſet eorum querimonia, ſi ſtatuta ſibi contraria forent: ſed ſolita vtuntur fallacia, quia (vt ſæpè dictum eſt, ac dicendum eſt ſæpius) ſtatuta non tangunt niſi deſcendentes ex perfidis Iudæis, qui Chriſtum Dominum, & apoſtolos aliosque ſanctos occiderunt, & per mille quingentos circiter annos in ſua perfidia perſiſtẽtes, ter ſingulis diebus Deum Chriſtum blaſphemant, & cęteros Chriſtianos omnes occidere ac perdere vellent.

Deſinant, vt olim, dicere; Semen Abrahæ ſumus, & patrem habemus Abraham. his enim iam reſponſum fuit: Si filij Abrahę eſtis, opera Abrahæ facite. & alibi: Genimina viperarum, ne cœperitis dicere, patrem habemus Abraham: Dico enim vobis, quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Et vt apoſtolus inquit: Abraham pater eſt omnium credentium. non ergo iam pater perſi-

Ioan. 8. *Luc. 3.* *Rom. 4.*

perfidorum Iudæorũ ex quibus nati eſtis: parum quidẽ curabit Chriſtus Dominus imaginariam iſtam perfidorum cognationem poſt mille quingẽtos annos. cui cùm
Matth. 12 dixiſſet quidã, Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant, quærentes te; ipſe reſpondens dicenti ſibi, ait: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? & extendens manus in diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei: quicunque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror & mater eſt: non quòd negaret matrem & fratres, (vt inquit ſanctus Hieronymus) ſed quòd
Com. 399. apoſtolos cognationi prætulit, vt carni ſpiritum præferamus. adde quòd mater, & fratres eius cum primis voluntatem æterni patris fecerunt.

1. Theſſ. 2. Vultis autem videre quomodo maiores veſtri voluntatem Dei fecerint, audite Apoſtolum dicentem: Iudæi Dominum occiderunt Ieſum, & prophetas, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduerſantur, prohibentes nos Gentibus loqui, vt ſalui fiant, vt impleant peccata ſua ſemper: Peruenit enim ira Dei ſuper illos vſq. in finem. igitur neq. veri filij Abrahæ, neq. Chriſti conſanguinei patres, aut aui veſtri fuere.

Neque eſt quidem veriſimile, conſanguineos

guineos Chriſti, proximos cognatos ſecundum carnem, eum occidiſſe: quòd ſi tunc nec intra quartum, nec intra ſeptimum gradum (qui apud iuriſconſultos poſtremus èſt) cõſanguinei Chriſti erant, id enim nuſquam relatum eſt; quoto gradu nunc conſanguinei eius eſtis? & ſi tunc ſine vllo conſanguinitatis reſpectu eum maiores veſtri tam acerbè occiderũt, qualem nunc reſpectum conſanguinitatis exigitis? ſi vobis non faueremus, propterea quòd Chriſti conſanguinei eſſetis, Chriſto Domino (fateor) ingrati & in eum iniurioſi eſſemus: ſed ſi maiores veſtros odio habemus, quia Deum Chriſtum crucifixerunt, aut certè crucifigentibus conſenſerunt; nulla iniuria eum afficimus, quinimo zelus noſter optimus eſt, & argumenta veſtra ſunt ineptiſſima.

De eadem re.
Cap. 21.

SCRIPSERAM intra dies paucos opuſculum hoc breue quidem atque ſuccinctum, quia adhuc oppugnabatur ſtatutum Toletanum, & erat in mora periculum; ſed poſteaquàm idẽ ille concionator, qui malã agebat cauſſam, palinodiam cecinit, & publicè confeſſus eſt, ſtatutum

Digitized by Google

cum ſua cõfirmatione bonum eſſe. itaque cauſſa peracta eſt. Perſuaſerunt mihi viri amiciſſimi, vt re cũctanter inſpecta id argumentum per ſeipſum ſterile atque inſipidum exactiùs expenderem, ac ſale condirem: quod vt libenter facerem, importunum otium, quo inuitus fruor, effecit. Cæterùm neceſſe erit nonnũquam à propoſito digredi, & quibuſdam parergis vti: adiungam tamen ea, quæ neque vulgaria ſint, neque iniucunda.

Ac primùm quidem, quòd noui iſti, qui ex circuncisione ſunt, iactare ſolent ſe eſſe filios Abrahæ, dicant mihi velim, quoto gradu ab eo diſtant; ad hæc, nomina Abraham, Iſraël, & Iacob, non ſunt nomina carnis & naturę, ſed nomina gratiæ, & promiſſionis, & fidei, & ſacramenti: nec magis ad eos pertinent quàm ad Gentiles credentes: Nam qui ex fide ſunt, ij ſunt filij Abrahæ; vt ad Romanos, & Galatas diuinus ſcribit Apoſtolus, Rom. 4. Gal. 3.

Fin. lib. 5. cap. 15.

Igitur quando parentes illorum Iudæi perfidi, maiores autem noſtri Chriſtiani fideles erant, illi non veri filij Abrahæ, ſed noſtri veri filij erant. Præterea non ſolum de Saluatore Iudæi malè loquuntur & ſentiũt, ſed de ipſo etiam Abraham aiunt in ſuo Talmud, docuiſſe magicas artes, & inuen-

Digitized by Google

inuentiones dæmonũ: quo planè oſtendunt, ſe nõ eſſe veros Abrahæ filios. quam fabulam cum aliis impiis blaſphemiis ac deridendis, retulit Finus Hadrianus lib. 9. cap. 8.

De Christi Dei nostri *cognatis. Cap. 22.*

Vt autem planè conſtet, quales fuerint Seruatoris cognati, & quàm longè ab illis abſint, qui eum cruci affixerunt; non erit omnino alienum ea, quæ diffusè ac diſpersè ſcripta de eis inueni, hunc in locum breuiſſimè cogere.

Traditur, Emerentianam cum Solone de tribu Iuda, duas genuiſſe filias, diuam Annam, & Iſmeriam; Annã ex Ioachim de domo Dauid genuiſſe Mariam ſacratiſſimam; Iſmeriam verò Aphrano ſacerdoti iũctam genuiſſe ſanctam Elizabeth. erant autem Ioachim & Anna accuratiore vita, iuxta præſcriptum legis præſtantes, & clari: nec non primis quibuſque, & ſplendidiſſimis, nobiliſſimisque genere connumerati, auctore Nicephoro lib. 1. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, cap. 7.

Zacharias, & Elizabeth parentes Ioannis Baptiſtæ erant iuſti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & iu-

Digitized by Google

ſtificationibus Domini ſine querela, ex quibus natus eſt ille Propheta, & pluſquàm Propheta, quo nullus ſurrexit maior inter natos mulierum; qui conſobrinus erat beatiſſimæ Virginis; de qua quia eſt maior omni laude, dixiſſe ſufficiat, eam fuiſſe dignum Dei domicilium, atque Dei matrem.

Sancti quoque Martialis, & Seruatius ex Chriſti cognatione fuiſſe dicuntur. Beatus Martialis à Diuo Petro epiſcopus conſecratus ad Gallias miſſus, cultum idolorum eliminauit, & plurimis claruit miraculis. Sanctus quoq. Seruatius epiſcopus multis miraculis claruit, ac dono linguarum effulſit.

Ioſeph ſponſus matris Dei cognatus quoque Chriſti fuit: nam iure propinquitatis vir matris eius fuit, vt hereditas ad eum perueniret ſecundum pręceptum legis; cùm enim Ioachim non alios haberet filios, hereditas eius neceſſariò ad filiam peruenire debebat, & illa vni de cognatione nubere tenebatur.

De Maria Cleophæ, quam Ioannes euangeliſta vocat ſororem matris Domini, variè ſentitur, ſed ſatis probabile eſt, eandem eſſe, quam cæteri euangeliſtæ appellant Mariam Iacobi: dictam autem Cleophæ, quia eius vxor; Iacobi, quia eius

mater.

Digitized by Google

mater. nec eſt veriſimile, illam fuiſſe verè ſororem Deiparæ Virginis, & Annæ filiam: tum quòd parum conueniat dignitati ſanctiſſimæ matronæ Annæ, alterum ei adſcribere maritũ poſt ſuſceptam prolem ex Ioachim: tum quòd moris non ſit, duas ſorores eodem appellari nomine. demum quia in ſenectute concepit Anna beatiſſimam Virginem, vt Nicephorus in Eccleſiaſtica hiſtoria retulit lib. primo ca. 7. Probabilius ergo eſt, eam dictam fuiſſe Deiparę ſororem, quia vxor erat Cleophæ fratris Ioſeph. Itaque falſa eſt opinio de tribus Mariis ſororibus Annæ filiabus. quæ omnia plenè ac rectiſſimè diſputat Cornelius Ianſenius in ſua concordia euangelica cap. 143.

Sed quæſtio vehemens eſt, an Ioſeph antequàm ſponſus eſſet Deiparę virginis, filios habuerit ex alia vxore. Multi putant fi os eius fuiſſe Iacobũ minorẽ, & alios; ea potiſſimum ratione, quòd fratres Domini appellari ſoleant. Sed virginem ſemper fuiſſe ſanctum Ioſeph, aiunt Abdias, diuus Hieronymus, ſanctus Auguſtinus, Venerabilis Beda, Rupertus, Hugo, & Aloyſius Lipomanus, qui eos omnes retulit in vitis ſanctorum; & Cornelius in ſua concordia cap. 19. Dicti autem ſunt fratres Domini, quia erant eius co-

C 3 gnati;

gnati; ſicuti Abraham ſe vocat fratrem Lot, qui fratris eius erat filius.

Tres illi fratres Chriſti cognati, qui eius quoque fratres appellabantur, Iacobus iuſtus, Simon, & Iudas, electi apoſtoli ab eo fuerunt, docẽs nos Dominus, epiſcopum ſine perſonarum acceptione ad ſacra myſteria rectè aſſumere poſſe carne ſibi propinquos, modo illi æquè atque alij ad ea obeunda ſint idonei, non tamen inter primos apoſtolos cognatos ſuos conſtituit, ne videretur carnalis conſanguinitatis habere reſpectum.

Sunt qui putant, matrem filiorum Zebedæi fuiſſe Domini conſanguineam: ſed id ex ſcripturis non conſtat, quinimo ex illis contrarium colligi poteſt; ſed erat vna ex mulieribus, quæ Domino ſeruiebant, & miniſtrabant de facultatibus ſuis, & ſecutæ eum fuerant de Galilæa; & eam dictam fuiſſe Salome, ſatis conſtat, coniunctis duobus euangeliorum capitibus. nam quam Matthæus vocat matrem filiorum Zebedæi, eandem ponit Marcus Mariam Salome, Matth. 27. Marc. 15.

DE CÆTERIS CHRISTI *cognatis.* *Cap.* 23.

ALIORVM quoque Chriſti conſanguineorum

Digitized by Google

guineorum hiſtoriam breuiter nũc concludemus. Africanus quidem hiſtoricus in epiſtola quadam ad Ariſtidem ſcribit, in Iudęæ vicis fuiſſe cognatos quoſdam Saluatoris, qui dominici, ſeu domicelli, & heriles, propter eam generis coniunctionem, cognominati ſunt.

Libet quoque illa deſcribere, quę Euſebius in Eccleſiaſtica hiſtoria lib. 3. retulit cap. 10. Vbi Iacobus martyrio (inquit) obiiſſet, & Hieruſalem paulò poſt eſſet capta & exciſa, fama eſt, apoſtolos & diſcipulos Domini vnà cum his, quibus cum Domino ſecundum carnem intercedebat cognatio (plerisq. enim iſtorum ad illud vſque tempus vita ſuppetebat) ex omnibus locis in vnum conueniſſe, conſiliumque pariter iniuiſſe, quis in Iacobi locum ſuccedere dignus iudicaretur. Omnes ergo vno conſenſu Simeonem filium Cleophæ (cuius etiam ſacra ſcriptura euangelij mentionem facit) idoneum habilemque, qui eccleſiæ ibidem inſtitutæ ſede & præfectura donaretur, exiſtimabant: qui, vt fertur, Seruatoris conſobrinus fuit: Nam Cleopham fratrem Ioſeph fuiſſe, narrat Hegeſippus. Hæc ille.

Neque illud prætereundum eſt, quod idem Euſebius eiuſdem libri cap. 15. ita

C 4 ſcriptum

Digitized by Google

ſcriptum reliquit: Cùm Domitianus ipſe omnes Dauidis ſtirpe & familia proſeminatos è medio penitus tolli iuſſiſſet, vetus fama eſt, Iudæ poſteros (hunc conſobrinum Saluatoris ſecundum carnem fuiſſe liquet) vtpote qui non à Dauide ſolum ſuũ genus, ſed etiam ab ipſo Chriſto ſanguinis cõiunctione ducerẽt, à quibuſdam ſectarum Iudaicarum fautoribus in iudicium eſſe vocatos. quę quidem Hegeſippus quoque ad verbum explicat, hoc modo: Alij ex genere Domini ſaluatoris orti nepotes Iudæ (qui frater illius ſecundum carnem dicebatur) adhuc erant ſuperſtites, quorum nómina maleuoli detulerunt, tanquam ex ſtirpe Dauidica genus ſuum deriuantium: iſtos verò quidam nomine Iocatus ad Cæſarem Domitianum deduxit; hic enim de aduentu Chriſti (vt Herodes iam olim) metu erat non éxiguo perculſus: qui cùm ab illis rogaſſet, vtrum eſſent ex genere Dauidis procreati, ita rem ſe haberę confeſſi ſunt.

Et poſt aliqua rogati etiam, vt de Chriſto & regno eius quodnam eſſet, aut quando, quóue loco exiſteret, rationem redderent: illud non mundanum & terreſtre eſſe dixerunt, ſed cæleſte, & angelicum; quod in ipſa ſęculi conſummatione decla-

declarandũ foret, quando Dominus cum gloria & maieſtate è cælo deſcendens, de viuis & mortuis eſſet ſententiam dicturus, & cuique mercedem ſecundum opera & vitæ officia redditurus. Vnde Domitianum contra eos nihil mali decreuiſſe, ſed tanquã abiectos & ſimplices aſpernatum, liberos quidem illos dimiſiſſe, atque adeò deſtitiſſe à perſecutione, quam ex decreto contra eccleſiam inſtituerat. iſtos ita periculo & crimine ſolutos, deinceps, tum quòd teſtes Domini erant, tum quòd eius ſtirpe generati putabantur, eccleſiis præfuiſſe, & pace iam in eccleſia conſtituta, ad Traiani vſque tempora vitam propagaſſe. hactenus ex Hegeſippo Euſebius.

Poſtremò idem Euſebius lib. 3. cap. 26. ita ſcribit: Simeon filius Cleophæ à ſectis Iudæorum, quòd ex diuina Domini progenie genus ducebat, per calumniam vocatur in iudicium, & eius nomen ea de re ad Atticum virum conſularem defertur: qui cùm multis diebus acerbas plagas pateretur, teſtimonium fidei Chriſti fortiter perhibuit, adeò, vt cùm omnes, tum ipſe conſularis ſupra modum miraretur, quo pacto cùm eſſet centum & viginti annos natus, talem & tam acerbum plagarum cruciatum ſuſtinuerit. quibus re-

bus confectis ad extremum mandatum erat, vt in crucem ageretur.

Aiunt quoque tempore mortis beatiſſimæ Virginis, accerſitos fuiſſe viros & feminas generis propinquitate illi coniunctos, vt ſimul cum apoſtolis adeſſent, ſicuti Nicephorus memorat libr. 2. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cap. 21.

Ex quibus omnibus, aliiſque multis perſpicuum eſt, Iudæos perfidos, qui Chriſtum Dominum occiderunt, non fuiſſe cognatos eius; quinimo cognationem illam planè diuinam, apoſtolorum, martyrum, & confeſſorum agmine refertam Iudæos ipſos odiſſe, ac perſecutos fuiſſe. Deſinant ergo illorum deſcendentes etiamnum Chriſti cognatos ſe eſſe iactare: niſi fortè de cognatione illa generali loquantur, quam Florentinus iureconſultus ait, naturam inter omnes homines conſtituiſſe.

AN STATVTA ISTHÆC *naturæ, aut rectæ rationi repugnent, aut ſint iniuſta.* Cap. 24.

RESPONDEO, nihil minus eis conuenire: Sed aiunt, nihil magis naturæ, aut rationi contrarium, quàm innocen-

tem

tem punire. Reſpondeo, addendum eſſe ſine cauſſa: nam cum cauſſa plurimi rectiſſimè puniuntur in his rebus externis, vt innumerabilibus exemplis facilè probari poteſt, & nunc ſat fuerit aliqua breuiter attigiſſe: filij hæreticorum, & eorum omnium, qui grauiſſima crimina commiſerunt, non ſolum arcentur ab honoribus, ſed & bonis parentum priuantur, & infamia notantur, quamuis innocentiſſimi ſint: pro quibus multo iuſtiores exclamationes fieri poſſent quàm pro iſtis, qui à quibuſdam beneficiis eccleſiaſticis dumtaxat arcentur, idque multis ex cauſſis, & quidem longè fortioribus.

Quod autem philoſophantur ex Platone, illos melius diis ſacrificare, qui ſunt virtute præſtantes, quàm vel fortes, vel nobiles: quid ad rem? excluduntur ne iſti à veris Dei ſacris? minimè. Addunt etiam in laudem Platonis, dictum illud eſſe ex naturali ratione, quam beatus Iacobus verbum inſitum vocat. Sed ex eodem Platone illis oſtendamus, quales ſacerdotes eſſe voluerit: is enim ſexto de Legibus conſtituit, vt in ſacerdotum creatione ille comprobetur, qui integer ſit atque legitimus: deinde à domo quàm maximè munda; expers quoque cædis, omniumque huiuſmodi, quæ aduerſus di-

Digitized by Google

uinam rem committũtur: cuius & pater, materque ſimiliter vixerint: Accipite (vt ipſi dicitis) inſitum verbum; & quem teſtem tantopere approbatis, reiicere non poteſtis: eius quidem teſtimonio multi ex vobis, qui non ſunt è domo munda, ſacerdotes eſſe non poſſent, nedum omnia beneficia eccleſiaſtica poſſidere.

Addunt etiam iniuſta eſſe ſtatuta propter acceptionem perſonarum. quod ſi verum eſt (ſicut non eſt) iam omnia iura, quæ nobilibus fauent, & quæ aliquos illegitimos excludunt, & quæ cætera ſimilia ſtatuunt, iniuſta ſunt acceptione perſonarum. eiuſmodi ſunt iſtorum argumenta omnia.

VTRVM EA STATVTA SCHISma inducant, pacem & vnitatem populi Chriſtiani perturbent. Cap. 25.

RESPONDEO, non magis quàm leges cæteræ diſtinguentes inter nobiles & plebeios, inter doctos & indoctos, inter magiſtratus & ſubiectos, inter filios illuſtrium & infamium, inter inſtituta tot diuerſiſſimorum monachorum, canonicorum regulariũ, & reliquorũ omnium, quot in republica diſtincta eſſe videmus.

Hoc

Hoc loco exclamat ſæpiſſimè auctor egregiæ illius apologiæ, dicens: Tunicam Domini inconſutilem ſcindi, vnitatem eccleſiæ rumpi: & mille talia tragicè vt ſolet. cui & iſti quoque conſentiunt: qui omnes ſomniaſſe videntur, tunicam illam contextam fuiſſe ex beneficiis Toletanis, & ex iſtis nouis Chriſtianis; ita vt ſi illa ab his ſepares, tunicam inconſutilem neceſſariò ſcindas. Putaſſe quoque illos videri poteſt, maximam fore catholicæ eccleſiæ ruinam, ſi aliqua fuerint beneficia eccleſiaſtica, quæ nouorum Chriſtianorum manus effugiant, vel hac ſola ambitione digni, vt à cæteris beneficiis omnibus arceantur.

O boni quieſcere neſcitis, niſi omnia beneficia habeatis? non poteſtis eſſe boni Chriſtiani, niſi ſitis canonici Toletani? tanti hoc refert Eccleſiæ catholicæ, vt aſſerere non vereamini, propter hæc ſtatuta iuſtiſſima, & à ſede apoſtolica ſæpè confirmata tunicam inconſutilem ſcindi? vnitatem eccleſiæ diſſolui? ſchiſmata naſci? ſcandala excitari? & innumera peccata oriri? Declamate quantum velitis, ilia etiam (ſi placet) clamando rumpite; integra manet inconſutilis tunica: vnitas eccleſiæ inter catholicos durat; ſchiſmata niſi culpa veſtra, nulla erunt: ſcanda-

Digitized by Google

la, hæreſes, & alia peccata ſi à vobis orta fuerint, & Rex Catholicus puniet, & ſacroſanctum tribunal ſanctæ Inquiſitionis (tam iuſtum quàm vobis odioſum) ſedabit & ſupprimet: nec alia reſponſione eget caput decimum impugnationum veſtrarum.

AN STATVTA IMPEDIANT *conuerſionem infidelium.* Cap. 26.

IN hac quoque parte, & in qua non, rhetoricantur iſti dicentes, hinc naſci in Hiſpania malum pernicioſiſſimum, certiſſimum, & manifeſtiſſimum, quòd nondum conuerſis aditum ad fidem intercludunt: quod vt probabile faciant (cũ ſit incredibile) arte rhetorica exaggerant, ea impedimenta vaniſſimè. vbi enim ſunt in Hiſpania infideles? Ingentes Deo gratias agimus, quia nulli ſunt; niſi fortè palliati nomine Chriſtiano. quòd ſi finxerint, aliunde in Hiſpaniam eſſe venturos, ſi eis offerantur beneficia Toletana: his ego reſponderim, libenter Hiſpaniam talibus conuerſis eſſe carituram.

Quid enim boni ſperari poſſet ab iis, qui non tam propter Deum, quàm propter beneficia illa quarũdam eccleſiarum, fidem

Digitized by Google

fidem noſtram ſuſciperent? Catholica fides, non temporalia ac terrena offert, ſed ſpiritualia & æterna. vana quidẽ, & imaginaria hæc eſt iſtorum inuentio, & quæ nihil ſtatutis derogat.

VTRVM HISPANIÆ NAtio his ſtatutis perpetua notetur infamia. Cap. 27.

RESPONDEO, ſi iis quos ſtatuta illa tangunt, ita eſſe videtur, nos contrà cenſemus, honori magno ea eſſe noſtræ nationi. Primò quia redolent zelum ſanctiſſimum Hiſpanorum nobilium, & veterum Chriſtianorum, qui genus ſuum miſcere non volunt cum his qui ſunt ex generatione peſſima, & qui Chriſtum Dominum crucifixerunt: Deinde, quia cùm ſint iſti pauci, & vix milleſima pars Hiſpanorum, natio noſtra propter illos non infamatur. Poſtremò, quia conſtantia Catholicæ fidei, & bellica fortitudo Hiſpanorum, atque illorum pura & incontaminata nobilitas his ſtatutis in primis roboratur, ne natio noſtra degeneret generationis incredulæ commiſtione vitiata.

Veriùs dixiſſent infamiam Iudæorum ſtatutis prorogari, ſed id ex perfidia auorum

rum ſuorum, & ſua ipſorum culpa prouenit: quorum plurimi ad apoſtaſiam redierunt, & hæreſibus infecti ſunt: plerique autem cæterorum, ambitione, inquietudine, aliiſque prauis moribus, maiorum ſuorum veſtigia ſequuntur, nec ea obliuione deleri ſinunt. quòd ſi qua ficta infamia vniuerſæ nationi imponitur, eam puri nobiles, puriq́ue veteres Chriſtiani floccipendunt.

VTRVM SINT QVORVNdam monachorum ſtatuta toleranda, quæ non recipiunt hos conuerſos. Cap. 28.

ISTIS videntur non eſſe toleranda; nobis verò contrà: & quia omnia argumenta, quibus ea ſtatuta impugnantur, inuenta ſunt à monachis, deſcendentibus ex Iudæis; diffunduntur prolixiùs in hac parte. ſed nunc breuiter eorum fundamenta euertemus: quia omnia ſunt generalia, ac falsò aſſumunt impediri monachatum iſtorum propter ſtatuta quorundam monaſteriorum; cùm ſit certo certius plurima eſſe monaſteria, & ferè innumerabilia, in quibus nihil tale conſtitutum eſt: &, vt rectè Caietanus dixit, ad illa monaſteria ire poſſunt, ſed nolunt iſti, niſi perturbare omnia.

Quando

Digitized by Google

Quando Chriſtus Deus noſter dixit, Si vis perfectus eſſe, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me: nunquid adiecit, & eſto monachus in illo aut illo monaſterio? quando diuini illi patres, Benedictus, Dominicus, Franciſcus, & cæteri pro ſuis monachis regulas & ſtatuta fecerunt, nunquid nominatim iuſſerunt, vt admitterentur in ſodalitiis ſuis etiam ij, quos veriſimile ſit eorum tranquillitatem eſſe perturbaturos? nunquid conditores atque ædificatores monaſteriorum id ipſum ſpecialiter præceperunt? minimè gentium. Ergo iuſtis ex cauſſis prælati monachorum prouidere poſſunt, ac debent bono communi ſuorum ſubditorum, & ſtatutis cauere, vt ij, qui plerunque ſolent eſſe inquieti, inobedientes, ambitioſi, & monaſteriorum perturbatores, procul arceantur: atque ea ſtatuta iuſtiſſimè à ſummo Pontifice poſſunt approbari.

Poſtremò, cùm experientia, quæ rerum mater & magiſtra eſſe perhibetur, compertiſſimum ſit, iſtorum mores maiori ex parte ſocietatibus veterum Chriſtianorum intolerabiles fore, lõgiore diſputatione opus non eſt: vt enim Dionyſius libr. 11. antiquitatum Romanarum ſcriptum reliquit, vbi experimentum

tum

Digitized by Google

tum docet, quòd conferat, quid illic opus eſt ſpeculationibus?

Ad ſummã, argumenta quæ hactenus inuenerunt, & quæcunque alia reperturi deinceps, aut excogitaturi ſunt, ea omnia facilè diluuntur diſtinctione non admodum longa; aut enim loquuntur de rebus ſpiritualibus, ſtatuta verò de temporalibus: aut loquuntur de nobilitate Chriſtiana, nos autem de politica loquimur. aut loquuntur de primis illis Chriſtianis antiquiſſimis: ſtatuta contrà, de nouitiis Chriſtianis. aut loquuntur de generalibus regulis: ex diuerſo ſtatuta de exceptionibus: demùm aut loquuntur de ſola cauſſa generationis iſtorum; ſtatuta verò propter plurimas cauſſas iuſtas facta & confirmata ſunt.

De monachis ex circuncisione. Cap. 29.

QVAMVIS autem argumenta omnia iſtorum (ni fallor) planè refutauerim, quia tamen plura ſeſe mihi adiicienda offerunt, pauca quædam animi cauſſa commemorabo, ex quibus perſpicuum fiat, qua ratione hi, qui ex circuncisione ſunt, à quibuſdam monaſteriis nunc in Hiſpania arceantur; ac primùm, ante aliquot

Digitized by Google

aliquot annos Toleti in domo Diui Hieronymi quidam Iudæus Pſeudochriſtianus, probitate ficta deceptis monachis, in præfectum (quem Priorem vocant) electus fuit, & ſacramenta Chriſtiana irridens, eisque abutens, Iudaicas ſuperſtitiones, & legis veteris cærimonias magna diſſimulatione ſeruauit, donec ab Inquiſitoribus comprehenſus, publicè combuſtus fuit: & eiuſdem hodie inſignia extant, quæ & vidi ego, & in eodem monaſterio pendent. & propter inſignem illam perfidiam & infamiam exinde conſtitutum eſt, ne alij eiuſdem generis in eodem monaſterio, neque in cęteris eiuſdem ordinis recipiantur.

In regno quoque Murcię alius Guardianus (ſic præfectum appellant) annis ſuperioribus publicè conciones habens catholicas, noctu cum alio Iudæo (quem ipſe monaſterij fecerat ianitorem) in domum priuatam clam abiens, multos ex circūciſione legem docebat Moyſis; quorum quidam cum ſuo doctore fuere combuſti: alij verò eccleſiæ gremio excepti, vſque in hodiernum diem in carcere ſancti officij vitam infamem & miſerabilem degunt.

Neque hi ſoli monachi reperti ſunt eſſe Iudæi, ſed etiam alij multi, quos enumerare

Digitized by Google

merare longum & ſuperuacaneum eſſet. Illorum autem qui ambitione ſumma, vt monaſteriis præſint, omnia perturbare ſoleant, ſuppetunt affatim exempla: duobus tamen memorabilibus contentus ero. Quidam ex circunciſione domum pauperrimam, & paucorum monachorum ingreſſus, illi præeſſe voluit; & ab altero ſuffragiis ſuperatus, adeò impatiēs repulſæ fuit, vt bis Romam pedes venerit, vbi coram præfecto ſuo Generali cauſſam electionis tanto ardore, tantaque diligentia peregit, vt eius ambitio (quia vir bonus eſſe videbatur) omnibus eſſet admirationi. Alter monachus ſimulans ſe nolle eſſe præfectum, rogauit amicos, ne eum eligerent; electo autem alio, vehementer de amicis queſtus eſt: illis verò dicentibus, vt ſibiipſi imputaret, qui perſuaſit contrarium eius quod cupiebat; reſpondiſſe fertur: Si boni amici eſſetis, etiam ſi ego iuraſſem, vos tamen mihi credere non deberetis.

VTRVM STATVTA HÆC *iuſtè fieri, & confirmari queant.*

Cap. 30.

RESPONDEO, cùm ſint de rebus merè poſitiuis (vt dici ſolet) dubitandum non eſt, quin poſſint à ſede apoſtolica con-

confirmari. Nam dignitates (epiſcopatum excipio) & beneficia omnia eccleſiaſtica ex iure poſitiuo ſunt, non ex iure diuino: & quemadmodum beneficia inſtituuntur, diuiduntur, vniuntur, & extinguuntur ſummi Pontificis auctoritate; multo magis ab eodem fonte manare poteſt ordo & modus conferendi eadem beneficia his vel illis. quod adeò perſpicuum catholicis omnibus eſt, vt nulla probatione indigeat.

Sed aiunt iſti, confirmationes falſa relatione fuiſſe impetratas, quia ſunt ſtatuta contra ius diuinum. in quo aſſerendo non ſolum temerarij ſunt & mendaces, ſed etiam hæretici manifeſti: nam temerè ac falsò aiunt, propter falſas relationes ſtatuta fuiſſe confirmata: id enim vt verum non eſt, ſic nec ab illis probari poteſt: ac demum aſſerere, tot ſummos Pontifices, quot ſtatuta confirmarunt, decipi potuiſſe in his, quæ ſunt iuris diuini; hæreſis eſt euidentiſſima: qua admiſſa, concideret prorſus auctoritas ſedis apoſtolicæ: ſemper enim dici poſſet, omnes eius definitiones, quamuis ad fidem pertinerent, falſis relationibus extortas fuiſſe. quamobrem iam iſti verbis confutandi non ſunt, ſed niſi reſipuerint, tormentis, & igne.

CVR

CVR HÆC STATVTA *ſunt in Hiſpania, & non in aliis Regnis.* Cap. 31.

IN promptu cauſſa eſt: quia innumerabiles Iudæi, partim quia expellebantur Hiſpania, partim ne bona immobilia perderent, partim vt magis nocerent Chriſtianis; finxerunt ſe eſſe Chriſtianos: & poſtea retecti ſunt eſſe Iudæi, & vſque in hodiernum diem deteguntur & puniuntur nepotes eorum.

Equidem mirari non deſino quoties audio, & video, eſſe homines in Hiſpania natos, & inter Catholicos educatos, ſine ſynagogis, & ſine Rabinis, Iudaicis ritibus & ſuperſtitionibus vſque adeò deditos, vt Meſſiam adhuc exſpectét, & euangelicam legem inanem prorſus & falſam eſſe, ſibi perſuadere potuerint. quorum non pauci his proximis annis in Regno Murciæ & Luſitaniæ inuenti, ac puniti ſunt.

Perfidi homines & peruicaces, qui legem illam veterem, quando ſalutaris erat, nunquam cuſtodire volebant: nunc autem cùm mortifera eſt, ab ea diuelli nequeunt. Sunt autem vſque adeò timidi, vt pro veteri lege tuenda, nemo eorum vnquam audeat mortem oppetere, ſed

Digitized by Google

ab Inquiſitoribus comprehenſi, vel negant ſe eſſe Iudæos, vel poſt multa periuria (peierare enim eis peculiare eſt) confitentur quidem ſe eſſe Iudæos, aiunt tamen ſe erraſſe, atque ad legem euangelicam redire velle. Interrogatus autem quidam, cur pro lege illa mori recuſarent, ſi eam adhuc ſalutiferam eſſe credebant: reſpondit ſe non timore mortis id facere; ſed quia lex illis non data fuit, vt pro ea morerentur, ſed vt viuerent, & bene eis eſſet, ac protelarentur dies eorum. digna quidem interpretatio vili & abiecto, timidoque Iudæo. Sed ad quæſtionem propoſitam redeo. *Deut. 5.*

Apud nationes alias non eſt ea diſtinctio nobilium, & veterum Chriſtianorum, quæ eſt apud noſtrates, vt alibi dixero; neque ea diligentia genus & mores hominum diſpici ſolent, qua in Hiſpania: quod ſi fieret, inueniſſent fortaſſe fidem aliam, & alios mores eſſe plerunque illorum, qui ex circunciſione ſunt, & eorum qui ſunt ex nobilibus, vetuſtiſſimiſque Chriſtianis.

Nec ea diligentia culpanda eſt, qua non ſolum diuus Paulus in epiſtola ad Titum, & ſæpè alibi, & ſanctus Lucas in Actis Apoſtolorum vſi ſunt; ſed hi quoque, qui eccleſiaſticas hiſtorias conſcripſerunt,

pſerunt, ſæpè illorum meminerunt, qui ex circunciſione fuerant, vſque ad quintam decimam ſucceſſionem, eorum epiſcoporum ſeriem & memoriam conſeruantes: vt videre licet apud Euſebium lib. 4. cap. 5. & apud Nicephorum lib. 3. cap. 25.

Atque ea re factum eſt, vt cùm Hiſpani viderent pleroſque illorum Iudæorum fictè fuiſſe conuerſos, & in ſua permanſiſſe perfidia, & eorum filios ac nepotes partim Iudæos eſſe, partim malos Chriſtianos, partim prauos maiorũ mores imitari; cùm hæc omnia conſideraſſent nobiles vetereſque Chriſtiani, remedia multa inuenerunt, quibus illorum perfidia puniretur, & ab eorum fermẽto cauerent, & eorum conſortium vitarent. itaque ſtatuta facta ſunt in Hiſpania vtilia & iuſta, atque adeò plerunque neceſſaria.

Quæ omnia ex noſtratium pietate, ac religionis zelo prouenire ſolent. eſt enim Hiſpanorum pietas & zelus ardens noſtrę genti propemodum ſingularis, ac præ aliis ferè omnibus orbis totius nationibus eximius; vt vir doctiſſimus Lindanus in apologetico tom. 2. ſcribit.

Quod fortè futurum eſſe præſentiens diuinus Apoſtolus ad Romanos ſcribẽs, inquit:

Cap. 15.

inquit: Cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quòd præteriens videam vos. & iterum: Per vos proficiſcar in Hiſpaniam. vbi ſanctus Chryſoſtomus addit: Hiſpaniæ rurſus meminit, vt oſtendat, quàm impiger, quamq́ue feruidus ſit erga illos. & Oecumenius: Rurſum Hiſpaniæ meminit, vehementem oſtendens amorem, quem habebat erga Hiſpanos.

Quamuis autem plerique putent, diuum Paulum in Hiſpania non prædicaſſe; Iſidorus tamen libro de ortu & obitu ſanctorum, ait contrarium; & ſanctus Hieronymus in libro de viris illuſtribus ſcribit, Paulum in prima ſatisfactione à Nerone dimiſſum, in partibus occidentis prædicaſſe.

Sophronius quoque patriarcha Hieroſolymitanus auctor eſt, Pauli tranſitu Italias, Gallias, & Hiſpanias illuſtratas eſſe. Referunt præterea nonnulli, Philotheum in Hiſpania principem familiariter Paulo vſum fuiſſe, & eundem Chriſti martyrem effectum. & hãc ſententiam ſecuti eſſe videntur Dionyſius & Gerardus Matthiſius, in locum epiſtolæ ad Romanos cap. 15. iam citatum.

Digitized by Google

QVAS OB CAVSSAS EA ſtatuta facta & confirmata ſint. Cap. 32.

MVLTIS ex cauſſis propoſitum ſtatutum factum fuiſſe conſtat, quarum prima in eodem, & in eius confirmationibus poſita, illa eſt, vt honori ac decori eccleſiæ conſulatur, vt illuſtretur perſonis inſignibus, generis claritate atque dignitate pollentibus. Qua ratione ſtatutum hoc magis fauorabile, quàm odioſum eſt; non enim tam in odium conuerſorum, quàm in fauorem eccleſiæ confirmatum eſſe videtur.

Quin etiam duplex hic fauor eſt: vnus eccleſiæ, alter eorum, qui bono genere nati ſunt; vterque autem eſt è republica. quis enim eccleſiæ non faueat? præſertim Toletanę, quę paucis exceptis, aliarum omnium eſt præcipua, & Hiſpaniarum obtinet primatum? Nihil mirum igitur, ſi hoc priuilegio à Pontificibus maximis decorata ſit: nam & in eccleſiis Germaniæ, Maguntina, Colonienſi, atque in quibuſdam aliis non poſſunt eſſe canonici, niſi viri admodum illuſtres. & quamuis id aliis ex cauſſis receptum fuerit, ſatis eſt tamen, neque nouum eſſe, neque iniquum, vt aliquæ qualitates in quibuſ-

quibuſdam eccleſiis requirantur, præter eas, quæ iure communi ſufficerent.

De cavssa secvnda. Cap. 33.

Cavssa altera, de qua iam antè memini, eſt nobilium fauor; nam, vt Cicero pro Sextio inquit, omnes boni ſemper nobilitati fauemus: & quia vtile eſt reipublicæ, nobiles eſſe homines dignos maioribus ſuis, & quia viget apud nos clarorum hominum & ſuorum de republica meritorum memoria, etiam mortuorum.

Atque equidem gentibus quoque eadem placuiſſe perſpicias. Romulus enim poſtquam diſcreuit potiores ab inferioribus, mox legibus latis præſcripſit, quid vtriſque faciendum: vt patricij ſacra curarent, magiſtratus gererent, ſecumque rempublicam adminiſtrarent: plebei verò ab iis negotiis immunes eſſent.

Hæc Dionyſius Halicarnaſſeus libr. 2. Romanarum antiquitatũ. Theſeus etiam nobilibus tractandi rem diuinam, magiſtratus ex ſuo ordine creandi, adminiſtrandiq́. leges, tum pia religioſaq́. interpretandi, definiendique poteſtatem fecit. Auctor Plutarchus in eodem Theſeo.

Digitized by Google

Antiquitus quoque hi qui nobiles, & claro loco nati erāt, in ciuitatum album referebantur, eosque vrbs quælibet in curiis ſenatorum loco habebat, atque conſtituebat: vt eſt apud Nicephorum libr. 16. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, cap. 44.

Huc accedit, quòd in epiſcopo deligendo, & in eccleſiaſticis beneficiis diſtribuendis, magni refert, nobilis quis ſit, an ignobilis. Proponens Electoribus epiſcopi cuiuſdam Sidonius Apollinaris nobilem quendam eligendum lib. 7. epiſtolarum, inquit: *Si natalibus ſeruanda reuerentia eſt, quia & hos non omittendos Euangeliſta monſtrauit: Nam Lucas laudationem Ioannis aggreſſus, præſtantiſſimum computauit, quòd ſacerdotali de ſtirpe veniebat; & nobilitatem vitæ prædicaturus, prius tamen extulit familiæ dignitatem.*

Beneficia verò eccleſiaſtica potius nobilibus quàm ignobilibus eſſe conferenda, iurium allegationibus multis comprobare poſſum; ſed prolixè id fecit Andreas Tiraquellus in tractatu de nobilitate, cap. 20.

RESPONDETVR OBIECTIONI *prima fronte difficili.*

Cap. 34.

QVID ergo dicemus nobilibus quibuſdam

buſdam prauo ſanguine infectis, qui cum recenter conuerſis repelluntur per hæc ſtatuta? Reſpondeo, nihil aliud quàm hoc eis dici poſſe, damnum, quod quis parentum ſuorum culpa ſentit, illis, & non aliis, imputari debet.

Rectè quidem Theognis dixit: Arietes & aſinos quærimus, Cirne, & equos generoſos, & quiſque vult ex bonis admittere: Ducere autem malam vxorem, mali viri filiam, non renuit generoſus vir, ſi ei pecunias multas dederit. Nulla femina mali viri recuſat eſſe vxor diuitis, quin diuitem vult maritum loco boni. opes quidem æſtimant, & ex malo viro ortam bonus duxit, & malus ex bono ortam cum diuitiis miſcuit genus. Itaque ne mirere, ô Polipeda, genus ciuiũ labefactari.

Publicè intereſt, (inquit Vlpianus) vt ordinum dignitas familiarumque ſalua ſit. & Iſocrates oratione de pace: Ea ciuitas felix habenda eſt, non quæ è promiſcua colluuie multos ciues temerè colligit; ſed quæ antiquiſſimas, & primas familias maximè conſeruare ſtudet; vt autem hæ conſeruentur, & ſaluæ ſint, oportet ne prauo ſanguine maculentur: cui malo ſtatutis huiuſmodi occurrendũ fuit. *L. 1. de vent. inſpiciẽ.*

Multis magniſque experimentis apud noſtrates cõpertum eſt, homines alioqui

nobiles his mixturis degeneraſſe, atque ad mores & ritus recenter conuerſorum tranſiſſe. &, vt ſemel & iterum diuinus
1.Cor.5. Apoſtolus ſcriptũ reliquit, Modicum fer-
Gal.5. mentum totam maſſam corrumpit.

Hęc verò in Hiſpania tãtò maiore conſideratione digna ſunt, quantò noſtrates nobiles pluribus prærogatiuis & priuilegiis fruuntur, quàm in pleriſque aliis nationibus; in quibus fere manet (vt quidam dixit) in ſolo nomine nobilitas: nam in Hiſpania nobiles immunes ſunt à tributis, non torquẽtur, nec pœnis plebeiorum afficiuntur, non detinentur in carcere propter æs alienum; & vt alia omittam, his ſolis dantur ſtipẽdia militiarum ſancti Iacobi, & aliarum.

Quas ob res, vbi hæc cognita non ſunt, non bene iudicari poteſt de diſcrimine nobilium & plebeiorum, ac nouè conuerſorum: qui puri nobiles ſunt in Hiſpania, nullo pretio contaminare volunt nobile genus ſuum. qua in re ſingulari laude digni ſunt Catalani, qui præeligunt paupertate premi, quàm antiquiſſimam nobilitatem ſuam pecunioſis coniugiis obſcurare.

Nobiles autem mixti audiant iterum Platonem à me iam ſuprà relatum, qui ſexto de Legibus conſtituit, vt in ſacer-

dotum

Digitized by Google

dotum creatione ille comprobetur, qui integer ſit atque legitimus, & à domo quàm maximè munda, expers quoque omnium, quæ aduerſus diuinã rem committuntur, cuius & pater materque ſimiliter vixerint. Quin etiam Hebræi illi antiquiſſimi diligenter prouiderunt, vt genus ſacerdotum ſine permixtione purumque conſiſteret. Oportebat enim eum, qui ſacerdotium habiturus eſſet, ex eiuſdem gentis muliere naſci, & genus per antiquam lineam, & multis teſtibus approbare. auctor Ioſephus lib. primo contra Appionem.

Hic tamen magnopere cauendum ac prouidendum cenſeo, ne facilè viri nobiles infamentur: Scimus enim eueniſſe nonnunquam, vt propter antiquas vulgi fabulas, & vanos atque confictos rumores, nobiles multi malè audierint. ſed hæc prauorum hominum culpa fuit, non ſtatutorum iuſtorum.

APPENDIX,
Cap. 35.

EO tempore quo hæc ſcribebam, vir quidam genere nobili, ſed maculoſo, litigabat in Rota, petens, vt quia nobilis & (vt aiebat) illuſtris erat, macula non ob-

ſtante admitteretur in canonicum eccleſiæ Toletanæ : ſed cauſſa cognita eius petitio reiecta, repulſaque eſt.

Multi quidem ex circuncifione nobilibus, & veteribus Chriſtianis commixti ſunt, in quibus plerunque præualere ſolet macula illa, & quaſi venenum hominem totum inficere. Audiui ego pro re certa, maculatum quendam, maculam ſuam ignorantem, Catholicum fuiſſe vſque ad ætatem 30. annorum; poſteà verò cùm ſciret ſe ex circuncifione eſſe, paulatim, dæmone ſuadente, ob eam rem factum Iudæum : id quod ipſemet carcere conſtrictus coram Inquiſitoribus confeſſus eſt.

Fertur etiam, cùm è tota Hiſpania Iudæi pellerentur, iuuenem quendam voluiſſe ſtatim migrare in Africam, non ſolùm, vt ne Iudæus eſſe deſineret, ſed etiam quia ei nō eſſe tolerabile videretur, vt ſemper ignobilis à Chriſtianis nobilibus haberetur; & præterea mores Chriſtianorum longè diſſimiles ſuis moribus eſſe : itaque ſimul cohabitare non poſſe. Patrem verò ſenem impetum eius cohibuiſſe dicentem, quò tandem ibimus, vbi melius eſſe poſſimus? fingamus nos eſſe Chriſtianos, & miſceamur coniugiis; & aut nos ferent, aut eos feremus.

Quæ

Digitized by Google

Quæ ſiue ſit vera narratio, ſiue fabula ficta, rerum tamen exitus comprobauit, inter illos fere omnes conueniſſe, vt filios & filias nobilium & veterum Chriſtianorum in generos & nurus habere ſtudeãt. atque vtinam id faciant, vt Iudaiſmi obliti, meliores Chriſtiani fiant; non autem vt genus illorum inficiant; & ad mores ſuos eos trahãt: ſed prȩſumamus meliora.

Eo quidem prætextu concionator ille (cuius mentio iam facta eſt, & poſtea fiet) conſulebat ex pulpito ſuis auditoribus Romæ, vt vxores acciperent ex circunciſione, cùm ferè omnes illi aut ex eodem genere, aut clerici eſſent: multaque eiuſmodi ſtulta, ac deridenda dicebat. Sed iam diu obſeruatũ eſt, quòd homines iſti acuti ſunt, & non prudentes.

DE CAVSSA TERTIA.

Cap. 36.

ALIA cauſſa confirmationis Toletani ſtatuti fuit, quia nõnulli ex Hebrȩis conuerſi, beneficia eccleſiaſtica poſſidẽtes, intra eandem eccleſiam tanquam de hæreſi ſuſpecti, mandato Inquiſitorum comprehenſi fuerant, & eorum ſic exigentibus meritis, partim combuſti, partim publicis pœnitentiis affecti ſunt, in eccleſiæ dedecus & opprobrium, ac in plurimorum Chriſti fidelium ſcandalum.

Digitized by Google

Quod quidem non ſolùm Toleti, ſed Hiſpali, & aliis quoque in eccleſiis Hiſpaniæ ſæpè contigiſſe conſtat, & ante quinquaginta annos Cordubæ Theſaurarius quidam ex proceſſione ſollenni raptus, paulo pòſt exuſtus fuit: cuius inſignia infamiæ adhuc in eadem eccleſia exſtant.

Quamobrem ab eo tempore ſtatutum factum, & ſeruatum eſt, quo noui Chriſtiani à beneficiis illius eccleſiæ arcentur. idque à bonæ memoriæ Paulo tertiò confirmatum fuit.

Itaque notatione digna hæc quoque cauſſa viſa eſt, vt ſtatutum confirmaretur; eo accedente, quòd vſque in hodiernum diem plurimi eius generis hæretici & apoſtatę deprehenduntur, ac iuſtis pœnis coërcentur, non ſine magno eccleſiarum dedecore atque dolore.

De cavssa qvarta. Cap. 37.

Plvrimvm quidem honoris detrahebatur eccleſię celeberrimę Toletanę, cùm eius præbendas ac dignitates illi occupabant, qui perfidorum filij, vel hinc oriundi erant, quos iure vel iniuria Marranos appellare ſolent: procliues ſunt enim homines ad contumelias.

Cùm

Cùm autem ſæpè à multis marrani nomen vſurpetur, nec ſatis de eius ſignificatione aut origine conueniat inter omnes, non erit fortaſſe alienum tria obiter nunc explicare; vnum, qui dicantur marrani; alterum, vnde factum ſit, vt nomine iſto appellentur; tertium, quo ſenſu accipienda ſint verba Pauli, anathema, maran atha, 1. Cor. 16.

Ac primùm quidem ſunt qui dicant, marranos vocari eos, qui ex Iudæis aliqua ex parte deſcendunt. alij aiunt, marranos appellari quoſlibet infideles. ſed neutrũ verũ eſt: nec enim omnes Iudæorum ſanguine cõtaminati, ſunt marrani; nec infideles omnes appellantur marrani.

Sed eos Hiſpani marranos vocare ſolemus, qui ex Iudæis deſcendentes, & baptizati, ficti Chriſtiani ſunt. quod & Michaël Ritius lib. 3. de Regibus Hiſpaniæ rectè intellexit, inquiens: Qui Iudæorum ritibus imbuti, nomine tenus ſunt Chriſtiani, hi vulgo marrani dicuntur.

Iudæi quoque Romæ habitantes, aiunt eos eſſe marranos, qui primò fuere Iudæi, deinde Chriſtiani, poſtremò ad Iudaiſmum redierint: quos & illi etiam deſpiciunt, dicentes ſe eſſe Iudæos, ſed non marranos: adduntque nomen hoc in Hiſpania eſſe natum.

Miror autem Laurentium Surium virum eruditum ac diligentiſſimũ, in commentario rerum in orbe geſtarum, hæc verba ſcripſiſſe: Eodẽ anno (ſcilicet 1518.) Carolus Hiſpaniarum Rex magnas eduxit copias aduerſus Marranos, & expugnato ex munitiſſimis eorum oppidis vno, plus minus quadraginta barbarorum millia proſtrauit. Ex præda huius victoriæ duo pretioſiſſima vexilla Cæſari Maximiliano auo ſuo paterno tranſmittens.

Nam vt prætercam rebellionem illam, non eo anno, nec à Marranis factam, nec tãta occiſione hominũ extinctam fuiſſe: Marrani oppida nulla poſſidẽt, & barbari nec dicuntur, nec ſunt. nec illi ſoli tunc rebelles fuerunt, ſicuti eleganter (vt omnia) ſcripſit Oſorius in vita Regis Emanuelis. ſed fortaſſe fabula hæc memoriæ prodita fuit ab homine alienigena, qui audierit rebellionem illam ortum habuiſſe ab aliquibus oriundis ex Iudæis; & inde eam deſcripſit Laurentius Surius: Nam hodie quoque fama eſt, homines illius generis cauſſam & originẽ fuiſſe perduellionis.

Hactenus de ſignificatione vocabuli; nunc verò de eius origine aliqua referamus. Quidam dicunt, Iudæos ipſos ab Hiſpanis dictos fuiſſe marranos, id eſt

porcos,

porcos, à nomine vulgari quo ſues vnius anni marranos vocant; atque inde fuiſſe nomine illo infami appellatos Marranos etiam eos, qui ex Iudæis deſcendunt, & ſuſpecti ſunt. ſed hoc veriſimile non eſt, nihil enim commune habent iſti cum qualitate porcorum, niſi quòd vno grunniente, cæteri omnes ei auxiliaturi ſtatim accurrunt.

Alij putant, antiquiorem eſſe huius nominis originem, & à verbo hebraico (mara) deriuatum eſſe, quod inter alia ſignificat rebellare: Cùm enim iſti rebelles ſint contra Chriſtum Dominum, rectè Marrani ſunt appellati. quod & Petrus Godofredus in rubrica de apoſtatis, confirmare videtur, multa ex Hebræis miſcens, ac demùm concludens, apoſtatas eſſe eos, quos Hiſpani marranos vocant, qui ſub nomine Chriſtianiſmi, ſtudioſi ſunt Iudaiſmi, rebelles, contumaces, inobedientes, & præuaricatores.

Auctor verò repertorij ſanctæ Inquiſitionis, inquit: Hi, qui in hæreſim & apoſtaſiam relabuntur Iudaizando, non credentes veniſſe Meſſiam, quia non credunt in Ieſum, ſed eum odio habent, ſunt anathema maranatha; à quo nomine proprium & conſonum nomen acceperunt hi, qui in Hiſpania vocãtur Marrani, de-

Digitized by Google

ſcendentes ex circuncisione.

De qua re loquens Marianus Victorius in annotationibus in epiſtolam diui Hieronymi ad Marcellam 137. ita ſcribit: Imperitũ vulgus peius aliquid quàm ſit anathema, putans eſſe maran atha, marani nomen, quo Hebręus à fide Chriſti ad Iudaiſmum rediens ſignificatur, inuenit. Nam maran atha, à diuo Hieronymo & ab aliis omnibus exponitur, Dominus noſter venit.

Sed Vuolfgangus Laſius lib. de gentium migrationibus defendit iſtam vulgi opinionem, dicens: Maran atha, anathematis ſignificationẽ induit, ex illo euentu; quia Iudæi gloriantes de venturo Meſſia, dicere ſolebant vulgò, maran, hoc eſt, Dominus noſter: contra quos Chriſtiani dicebant maran atha, quod eſt, Dominus noſter venit. hinc inimicitia orta inter Chriſtianos & Iudæos, quorum in ore erat maran, quos per contemptum Chriſtiani maranitas vocabant, & illis obtrudebant maran atha, id eſt Dominus noſter venit, vel inuitis vobis, quaſi irridentes eos, & illis malè precãtes. vnde apud Hiſpanos vulgò maranos appellant eos, qui ex Iudæis deſcendentes, apoſtatæ facti ſunt, Meſſiam ſuum exſpectantes. Hæc ille.

Cæterum

Digitized by Google

Cæterum cùm fateãtur omnes nomen marrani apud noſtrates ortum fuiſſe, cumque nomen ſit barbarum, & nouum, & à vulgo inuentum, ac duplici littera r. & non ſimplici prolatum, veriſimilius mihi eſſe videtur à vulgari verbo (marrar) fuiſſe deriuatum, quod errare ſignificat: vnde quia iſti maximè omnium à veritate aberrant, marranos, id eſt, errantes vocare eos vulgò ſolent; & quia illorum error eſt peſſimus, nomen marranum eſt infame atque ignominioſum, & iſtis præcipuè quadrat.

Hactenus de ſignificatione & origine marrani fortaſſe ſatis ſuperque. reſtat, vt ea quæ de verbis Apoſtoli (ſit anathema maran atha) inuenire potui, breuiter tandem adiungam; nec iam de ſenſu verborũ ambigitur: nemo enim eſt qui neſciat, cùm in eo loco anathema ſit, nihil eſſe aliud quàm quod, ſit ſeparatus, vel excommunicatus. & ſæpe antè dixi quid ſignificat, maran atha. Sed cùm in priore ad Corinth. epiſtola, capite ſupremo, dicat Apoſtolus; Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema maran atha.; non leuis, imò vehemens quæſtio eſt; quam connexionem & continuationem habeant ea omnia verba.

Sanctus

Sanctus Thomas ibidem inquit: Maledicit malis apoſtolus dicens : Si quis non amat , & cætera ; anathema ſit, id eſt ſeparatus , vel excommunicatus: maran atha , id eſt, Dominus veniet. quaſi dicat, qui non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema in aduentu Domini. & paulò poſt : Vel ſi quis vſque ad finem mortis non perſeuerat in amore Domini Ieſu Chriſti , in aduentu erit ſeparatus à bonis.

Franciſcus Turrianus , vir non vulgariter doctus , de hoc loco difficili conſultus reſpondit eadem ferè , quæ ſanctus Thomas , ſed pleniùs rem diſputat , & inter alia dicit : Sit anathema, id eſt alienus à communi corpore eccleſiæ ; vt ait Theodoretus : adiunxit autem Paulus maran atha , quod ſignificat, Dominus noſter venit. quod non de primo aduentu accipiendum eſt , ſed de ſecundo ; vt perinde ſit , quaſi diceret , ſit anathema vſque ad aduentum Domini . adiungit, inquam , vt hoc verbo perterrefaceret illos , quos anathemate afficiebat, admoneretque futuros eſſe verè excommunicatos , ac ſeparatos, & maledictos in ſecundo aduentu , cùm ſeparabunt angeli malos de medio iuſtorum . Expreſſit idem apoſtolus vim huius anathematis,

maran

Digitized by Google

maran atha, 2. Theſ. 1. dicens: Si tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis, qui nos tribulant, in reuelatione Domini de cælo cum angelis virtutis eius in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & gloria virtutis eius.

Deinde Turrianus addit: Sic Clemens interpretatus eſt in extremo epiſtolæ ſecundæ dicens: Si quis præcepta hæc non integra cuſtodierit, ſit anathema, vſque ad aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti. & pro his verbis in concilio quodam Toletano dicitur: Sit illi maledictio in aduentu Domini. & frequens eſt in conciliis vis huius anathematis, maran atha, aliis verbis idem valentibus explicata; vt in Toletano 6. cap. 13. Perpetuo anathemate damnentur, & cap. 18. anathemate diuino perculſus, abſque vllo remedio habeatur damnatus æterno iudicio. & in concilio Turonico 2. cap. 25. Anathema moriatur, & cæleſti gladio feriatur. Anathematizatus igitur, ſi perſeuerat in cõtumacia, quia in hac vita eſt ſeparatus à communione fidelium, etiam in aduentu Domini verè ſeparabitur à

Digitized by Google

tur à communione ſanctorum, proiectus in ignem æternum.

Quamuis autem Chryſoſtomus, & alij qui eum ſequuntur, verbum maran atha de primo aduentu interpretentur, in ſcriptura tamen, quæ futura ſunt, quia nulla in eis ſit dubitatio, quaſi iam euenerint, in præterito quandoque proferri ſolent. Hæc ille. Vnde planè relinquitur, non omnino malè à vulgo intelligi, grauius aliquid eſſe, maran atha, cum anathemate, quàm ipſum ſolum anathema.

Sed cùm plerique omnes de primo Chriſti aduentu verba illa interpretentur, & continuatio ſuprà ſcripta anathematis cum maran atha duriuſcula eſſe videatur, & vix qua inueniri queat apta coniunctio eorum verborum; non omnino diſplicet mihi, nempe additamentum affixum Oecumenio in eundem locum; quod ſic ſe habet: Credimus anathema, & maran atha, tanquam interiectiones execrantis frequenti in vſu fuiſſe apud Iudæos, intelligo apud Iudæos iam Chriſtianos factos. nã Iudæi perfidi nunquam fateri volunt Dominum noſtrum verum Meſſiam veniſſe, neque eundem eſſe Chriſtum Dominum.

Igitur ſi, maran atha, per ſe accipiatur,

tur, ſicut interiectio non continuata; tunc facilè applicari poſſunt explicationes variæ, ex quibus conſtat, eam interiectionem non ſine cauſſa fuiſſe ab Apoſtolo poſitam: Sic diuus Hieronymus in epiſtola ad Marcellam 137. Maran atha interpretatur, Dominus noſter venit; vt ſit ſenſus illius loci: Si quis nõ amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, anathema ſit: & illo completo deinceps inferatur: Dominus noſter venit: quòd ſuperfluum ſit, aduerſus eum odiis pertinacibus velle contendere, quem veniſſe iam conſtat. Hæc ille.

Sanctus Chryſoſtomus in locum eundem Apoſtoli, Quid eſt, inquit, maran atha? Dominus noſter venit. quaſi dicat, communis omnium rerum dominus demittere ſe tãtum dignatus eſt; vos ſemper in peccato manetis, & charitatis præcellentiam non obſtupeſcitis bonorum omnium caput? ac ſi apertiùs diceret, Dominus noſter pro nobis factus homo, & cruci affixus eſt: & non erit anathema, qui eum non amauerit? aliter, Dominus noſter venit, & ipſe puniet non diligentes ſe, & ipſe mittet in ignem æternum à ſua dilectione ſeparatos. & alia eiuſdem generis.

Poſtea verò quàm hæc litteris mandaueram,

ueram, vidi epiſtolam Ariæ Montani, viri doctiſſimi, quæ mihi admodum placuit; in qua ita ſcribit: Nómen, marrani, origine ſua hebraicum, forma autem arabicum eſt, deſcendit enim ex verbo marah, quod hebraicè ſignificat rebellare. Itaque vocabulum eſt hebraicum quantum ad etymologiam attinet, figura verò eſt arabicum; nam lingua arabica, quæ maiori ex parte originem ducit ex hebræa, in omnibus adiectiuis, quibus caret hebraica, ſolet addere ſyllabam ni: verbi gratia, quod hebræus dicit, notſeri, quod ſignificat Nazaræum, ſiue Chriſtianum; Arabs inquit notſerani: & eodem modo appellat marani, fidifragum ſiue rebellem: & ab arabica lingua maiores noſtri videntur id accepiſſe, vt ſignificarent Iudæos baptizatos fidifragos & rebelles, qui ad Iudaiſmum redibant; & etiam nunc Arabes vocant alhudi marani, Iudæos baptizatos, qui ad ſuas prouincias confugiunt. Alhudi autem Arabicè ſignificat Iudæum. Addo illud, quod noſtrates, qui nunquam ferè ſine indignatione proferũt verbum marrano, ad acrimoniam & vehementiam oſtendendam, duplici r. marranum vocant.

Sed iterum audiamus Ariam Montanum. Oratio, inquit, Syriaca, maran

atha,

Digitized by Google

atha, ex duobus vocabulis conſtat, & ad verbum ſignificat, Dominus venit; & erat vſitatiſſima antiquis temporibus in materia excommunicationis, & in argumento anathematis: & eius frequẽs mentio eſt in commentariis legis cærimonialis. Significat autem anathema, alicuius perſonæ vel rei ſeparationem ab vſu communi, velut excommunicatæ; id quod antiqui vocabant ſacrum, vt apud Satyricum: Is inteſtabilis, & ſacer eſto. Facta hac excommunicatione, nemo audebat communicare cum tali perſona, vel re vti anathemati ſubiecta; quia timebatur ſtatim adfuturã eſſe Dei vindictam: exemplo Acham filij Charmi, qui tulit aliquid de anathemate; propter quod iratus Dominus dixit: Peccauit Iſraël, quia pollutus eſt anathemate; & non ero vltrà vobiſcum, donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus eſt. & cætera, quæ ſcripta ſunt in lib. Ioſue, cap. 7.

Hinc fluxiſſe videtur, quòd cum perſona, vel res anathemate afficiebatur, dicere ſolebant, HaRma, maRan atha, id eſt, anathema eſto, Dominus venit; ſcilicet vlturus, ſi quiſquã tetigerit. HaRma, quod Græci vertunt anathema, Latinè poteſt dici abſciſio, ſiue exciſio; abſcindebatur enim anima illa à populo ſuo, vel res illa ab vſu.

Maran

Marán eſt vſitatiſſimum vocabulum in lingua Syriaca, quod idem eſt Latinè quod Dominus; & nihil ei conuenit cum ſignificatione deducta ex Hebræo, quam habet Arabicè in verbo MaRani. Hæc ille quadam in epiſtola verbis Hiſpanis pleniùs ſcripſit, quæ ipſe Latinè vtcunque in ſumma huc adiungere volui, vt omnibus communi carem, quid de his ſenſerit vir ille, tum aliarum diſciplinarum, tum etiam linguarum multarum peritiſſimus.

DE CAVSSA QVINTA.
Cap. 38.

EST & ea cauſſa generalis, & valdè notanda, quòd plerique, aut ferè omnes, qui in Hiſpania ex circuncíſione ſunt, non ſolum ex Iudæis, ſed etiam ex apoſtatis hæreticiſque deſcendunt. vt enim apud noſtrates perſpicuum & euidentiſſimum eſt, cùm Iudæi ab Hiſpania pellerentur, quotquot fidem catholicam publicè ſuſceperunt, exceptis admodum paucis, nòn ex animo, ſed fictè conuerſi ſunt, quemadmodum poſtea conſtitit.

Nam cùm ſanctum officium Inquiſitionis ſuo iure in eos ageret, facilè inuenit ferè omnes Iudæos eſſe, & plurimis

eorum combuſtis, reliqui publicam pœnitentiam egerunt. Itaque ex illis oriundi non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex apoſtatis ſunt.

Quid igitur mirantur, ſi à quibuſdam beneficiis paucarum eccleſiarum excluduntur: quandoquidem filij & nepotes apoſtatarum & hæreticorum pluribus pœnis iuſtè afficiuntur, qui rectius quàm iſti exclamare poſſent, ſe innocentes damnari, bonis parentum priuari, ac infamia graui notari.

DE CAVSSA SEXTA. Cap. 39.

IVDÆI perfidi, ex quibus iſti noui Chriſtiani nati ſunt, per mille quingentos circiter annos Chriſtum Dominum quotidie crucifigebant, conſentiētes parricidio patrum ſuorum; & cùm eum occidere millies (ſicuti voluiſſent) non poſſent, ſæpè Chriſtianos pueros cruci affixiſſe deprehenſi ſunt, ac ſæpius ſanctam imaginem Chriſti flagellaſſe, conſpurcaſſe, atque fregiſſe. *Vide Socrat. lib. 7. Eccleſiaſt. hiſt. ca. 16.*

Qua in re non ſolùm Iuda Iſcariote peiores ſunt, qui Deum Chriſtum ſemel dumtaxat vendidit, ſed etiam in aliis tribus. Primò, quia ille ſe peccaſſe confeſ-

Digitized by Google

ſus eſt; deinde, quia faſſus fuit ſe ſanguinem iuſti tradidiſſe; poſtremò, quia ſcelus admiſſum acerbiſſimè puniuit, quamuis malè deſperans, laqueo ſe ſuſpenderit. Iſti verò nihil eorum faciunt, ſed exſultant in rebus peſſimis, Chriſtũ Deum diebus ſingulis ter blaſphemantes: vt ſanctus Hieronymus eſt auctor in Eſaiam, cap. 49.

Atque hanc ob rem, & quia Deiparam quoque virginem execrantur, eos iam olim Deus dereliquit, & odio maximo habet; vt inquit Petrus Galatinus lib. 9. de Arcanis catholicæ veritatis contra Iudæorum perfidiam, cap. 10.

Quòd ſi filios Iudæ Iſcariotis nemo Catholicus fauore magno proſequeretur, mirum videri non debet, ſi nouos Chriſtianos ab aliquibus honoribus ea ſtatuta excludant, cùm ſint filij vel nepotes peſſimorum Iudæorum; qui in multis Iuda ipſo fuere peiores.

Quin etiam ipſi Marrani, ficti Chriſtiani, ſuperioribus annis puerum quendam non longè à Toleto cruci affixerunt, quem omnes verè vocant, ſanctum Innocentem. & illorum perfidorum deſcendentes adhuc hodie viuunt.

Digitized by Google

DE CAVSSA SEPTIMA. Cap. 40.

IVDÆI patres, aui, vel attaui iſtorum, non regulum aliquem, vel tyrannum peſſimum occiderunt, ſed Regem regum, & Dominum dominantium morte turpiſſima, atque crudeliſſima affecerunt & interfecerunt; quamobrem diuinam maieſtatem multis modis læſerunt: iuſtiùs ergo arceri poſſunt à quibuſdam eccleſiaſticis beneficiis iſtorũ liberi, quàm filij eorum qui maieſtatem humanam læſerunt, qui infamia pœniſque aliis afficiuntur. quod iniuſtum non eſſe, nemo eſt qui non fateatur.

DE CAVSSA OCTAVA. Cap. 41.

IVDÆI ſemper fuerunt ceruicis *Deut.* 9.
duriſſimæ, generatio eorum praua & per- *Deut.* 32.
uerſa, progenies viperarum, generatio
peſſima; & ex patre diabolo. Addo ver- *Matt.* 12. *Ioan.* 8.
ba illa diui Stephani, Vos ſemper Spiritui *Act.* 7.
ſancto reſtitiſtis, ſicut patres veſtri: quem prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri, & occiderunt eos, qui prænuntiabant de aduentu iuſti, cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuiſtis, qui ac-

cepiſtis legem in diſpenſatione angelorum, & non cuſtodiſtis. Paulus quoque & Barnabas maioribus iſtorum dixerunt:
Act. 13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.

Tum illud addo, quòd noui iſti Chriſtiani non deſcendunt ex Iudæis antiquis nobilibus, ſed ex illis, qui excidio Hieroſolymitano ſuperfuerunt, qui, vt ait Egeſippus, viliores paleis in omnem terram ventilati ſunt à gentibus, quas formidauerant, ne ſibi locum, & gentem tollerent: & qui triginta denariis Ieſum comparauerant ad perdendum, iuſtè poſtea triginta capita ſuorum viderũt vendi vno denario ad illudendum. tanta enim captiuorum præ multitudine vilitas fuit, vt triginta à Romanis vno numiſmate ſub corona venderentur.

Igitur non iniuria repelluntur ab aliquibus honoribus ij, qui ex tali generatione ſunt. Nam quemadmodum filij nobilium & clarorum virorum, parẽtum meritis nobilitantur, etiam ſi nihil ipſi fecerint propter quod nobiles eſſent: ſic à contrario ignobiles & obſcuri ſunt peſſimæ generationis homines, quamuis nihil commiſerint, quo ignobiles efficiantur.

DE CAVSSA NONA.
Cap. 42.

QVI ex hac peſſima generatione deſcendunt, ſuſpecti quodam modo ſunt, eò vſque ſaltem, vt iuſtè ſtatutis excludantur; non ſolum propter generationem prauam, ſed etiam, quia quotidie in Hiſpania deprehenduntur apoſtatæ & hæretici eſſe: Nam & ſi animi morbi ex patribus in filios non tranſeant; ſæpè tamen filij ſolent in ea vitia incidere, quibus parentes fuere affecti. vnde Fabius lib. 5. Similes parentibus ac maioribus ſuis filij plerumque creduntur, & nonnunquam ad honeſtè turpiterque viuendum inde cauſſa fluit. & vt alia prætereā, vetus prouerbium eſt ab Ezechiële relatum: Sicut mater, ita filia eius; & malum ouum, malus coruus. *Cap. 16.*

Accedunt & verba illa ſcripturæ diuinæ contra Iudæos: Generatio peruerſa, & infidelis filij. & illa Saluatoris: O generatio incredula, & peruerſa, & tum illa: O generatio infidelis! & ſicuti ex melioribus meliores procreari probabile eſt, vt Ariſtoteles rectè ſcripſit in Politicis, & alibi dixerat: Ex bonis bonum generari, conſentaneum eſſe. Atque hoc fore maximum nobilitatis bonum ait Boëtius, vt impoſita *Deut. 32. Matt. 17. Luc. 9. Li. 3. c. 8. Li. 2. ca. 4. Lib. 3. proſa 6.*

Digitized by Google

impoſita nobilibus neceſſitudo videatur, ne à maiorum virtute degenerent: Sic infidelium filij ad infidelitatem proni eſſe videntur, vt multis, magniſque exemplis apud noſtrates experti ſumus, & indies adhuc experimur; multi quippe iſtorum ad Iudaicam ſuperſtitionem redeunt, alij verò in alias hæreſes incidentes, non ſolum hæretici, ſed hæreſiarchæ facti ſunt, & multos ex nobilibus & vetuſtiſſimis Chriſtianis ſuis hæreſibus infecerunt. quod notius eſt apud noſtrates, quàm vt in eo probando verba multa ſint impendenda.

De cavssa decima. Cap. 43.

Deut. 23. Si de ſcorto natus prohibebatur olim in eccleſiam Domini ingredi vſque ad decimam generationem; ſi Ammonites, & Moabites etiam poſt decimam generationem, & in æternum vetabantur intrare eccleſiam Domini, quia noluerunt occurrere Iudæis cum pane & aqua in via, (2. Eſdræ. cap. 13.) quando egreſſi fuere de Ægypto, & conduxerunt Balaam, vt malediceret eis: quanto benignius agitur cum iſtis, ſi propter grauiſſima parentum ſcelera, & propter cauſſas ante memoratas, & mox memorandas,

morandas, arcentur à quibuſdam eccleſiaſticis beneficiis; & quamuis vetera illa ceſſauerint, non tamen ceſſat exemplum.

De cavssa vndecima. Cap. 44.

Si diuus Paulus prohibet Neophitum eligi in epiſcopũ, ne in ſuperbiã elatus in iudicium incidat diaboli; pari ratione, atque fortiori poſſunt noui Chriſtiani arceri à nonnullis beneficiis eccleſiaſticis: quia ſicut dum egent humiles admodum ſe eſſe fingunt; ſic in dignitatibus & honoribus conſtituti, ſuperbiſſimi eſſe ſolent, maximè aduerſus nobiles, veteréſque Chriſtianos. *1. Tim. 5.*

Quòd ſi exemplum videre vis Iudæi facti Chriſtiani, qui epiſcopatum adeptus inſignis euaſit hæreticus, ea perlege, quæ de Sabbatio ſcribit Socrates lib. 5. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cap. 20. & lib. 7. cap. 5.

De cavssa dvodecima. Cap. 45.

Cvm non debeantur nouis Chriſtianis beneficia illa eccleſiaſtica, ac multo minus ſua ſint; rectiſſimè potuerunt ſummi Pontifices ea ſtatuta confirman-

tes, inter alias qualitates, & hanc exigere. Nam ſicut canonibus ac legibus eccleſiæ decretum eſt, vt eligendi ad beneficia ſint talis ætatis ac ſcientiæ, talis ordinis ac peritiæ, vt ſint legitimi, ac multa alia: ſic etiam ſtatui potuit, ne ſint ex nouis conuerſis.

Et cùm diſtributio eorum beneficiorum fieri debeat arbitrio ſummi Pontificis, & epiſcoporum, nec teneantur ea conferre nouis Chriſtianis magis quàm veteribus, imò cùm iuſtum ſit (etiam ſtatutis non exiſtentibus) vt antè conferantur nobilibus, ac veteribus Chriſtianis, (qui nunquàm deſunt idonei) quàm nouis; non fit iſtis iniuria, ſi tam iuſtis ex cauſſis, quas commemoraui, ea ſtatuta in quibuſdam eccleſiis facta & confirmata fuerint.

De cavssa decima-tertia. Cap. 46.

Tot beneficia eccleſiaſtica malis artibus occupauerant iſti, atque hereditate poſſidebant, vt pæne ad effectum perducerent id, quod quendam illorum Rabinum prædixiſſe ferunt: Cùm enim Iudæi Hiſpaniam relinquere cogerentur, ni Chriſtiani fierent, aiunt illum dixiſſe:

Eiiciunt

Eiiciunt nos ex ſynagogis noſtris, nos eos è ſuis eccleſiis expellemus. cui malo vt aliqua ſaltem ex parte mederi poſſet, iuſtis ſtatutis illi occurrendum fuit.

Eo tempore quo ſtatutum factum fuit commorabantur Romæ innumerabiles ex circunciſione, beneficia omnia eccleſiaſtica quocunque modo expiſcantes, & ferè illic ſunt plurimi, qui nationem noſtram infamant; & quotquot abuſus excogitari poſſunt, facilè introducunt, vt meſſem auream metant.

Hi ſunt, qui ambitu & ſimonia dignitates, & præbendas eccleſiaſticas occupant; qui ſummi Pontificis miniſtros decipiunt; qui ſe nobiles eſſe mentiuntur: demum hi ſunt qui Romæ interturbant omnia, & qui (vt olim maiores eorum) de religione mercaturam faciunt. id enim Iudæos Hieroſolymis commiſiſſe, Egeſippus eſt auctor lib. 5. cap. 16.

Hi dignitates in primis ambiunt, vt corporibus dominentur; ambiunt & beneficia curam animarum habentia, vt animas quoque veterum Chriſtianorum ſibi ſubditas faciant. qua ratione conciones habere multas, & ſacras confeſſiones audire ſatagunt.

Et quia (vt à laicis dici ſolet) clerici cantando, & ſine magno labore honorem

& pecunias habent; in Hiſpania plurimi eorum id vitæ genus ſequuntur: illi enim nec arare, neque cauare volunt, neque his artibus incumbere, quibus manuum, aut corporis labor multus impendatur. In municipio quodam Toletanæ diœceſis reperti ſunt, ſtatuti huius tempore, quatuordecim clerici, & omnes ex circũciſione, vno dumtaxat excepto; & aliis in locis inueniuntur innumerabiles.

Tribus his rebus modicis ditiſſimi fiunt hi, qui ex circunciſione ſunt; & eas aiunt à parentibus in filios tranſire, tum hereditario iure, tum etiam iure legati, & fideicommiſſi. Hæc autem ſunt: modica verecundia, modica conſcientia, modica impenſa. Sed nequis putet me de illis omnibus hæc, & ſimilia loqui; teſtor atque proteſtor, me noſſe multos eorum probos & optimos viros, ac proinde nihil minus, quàm de omnibus illis ſcripta eiuſmodi accipi debere, vel intelligi poſſe.

De cavssa decima-quarta. Cap. 47.

C. conſtituit, 17. q. 4 Accedit illa quoque cauſſa, quòd iam olim durius ſtatutum fuit in concilio quarto Toletano, in decretorum libro relato: Conſtituit enim ſanctum concilium,

Digitized by Google

cilium, vt Iudæi, aut qui ex Iudæis ſunt, officia publica non appetant. itaque beniguiùs nunc agitur his ſtatutis cum eis, qui ex illis ſunt, quàm noſtri patres cum eorum maioribus egerint.

Scio multas interpretationes afferri huic decreto, ſed vereor ne omnes falſæ ſint, præter eam, quæ planiſſima eſt, & quam littera ipſa ſonat; cæteræ nanque conſiſtere nequeunt ſalua ratione recti ſermonis: exponere enim, qui ex Iudæis ſunt, & Iudæi ſunt, nihil aliud eſt, quàm dicere, conſtituit ſanctum concilium, vt Iudæi, aut Iudæi, quod eſt ridiculum: adde quòd alternatiua (aut) ponitur inter diuerſa. Nec obſtat bulla Nicolai quinti, quia ea nuſquam eſt; aut ſi vnquam fuit, iam reuocata eſt in hac parte, vt ſuprà oſtendimus.

De cavssa decima-quinta. Cap. 48.

Accedit illa quoq. cauſſa, quòd deſcendẽtes ex Iudæis ſæpiſſimè iã olim deprehenſi ſunt, & quotidie in Hiſpania detegũtur, ad Iudaicã ſuperſtitionẽ redire: ſic enim in quarto cõcilio Toletano continetur. Plerique ex Iudæis, qui dudum ad Chriſtianam fidem promoti ſunt, nunc *C plerisq. de conſ. diſt. 4.*

 blaſphe-

blaſphemantes Chriſtum, non ſolùm Iudaicos ritus perpetraſſe noſcuntur, ſed *Ibid. c. 63. cano poteſt. 2. q. 7.* etiam abominandas circunciſiones exercere. & iterum: Nō poteſt erga homines eſſe fidelis, qui Deo extiterit infidelis. Iudæi ergo, qui dudum Chriſtiani effecti ſunt, & nunc Chriſti fidem præuaricati ſunt, ad teſtimonium dicendum admitti non debent, quamuis ſe eſſe Chriſtianos annunciāt: qui ſicut in fide Chriſti ſuſpecti ſunt, ita in teſtimonio humano dubij habentur.

Accedit etiam, quòd cùm à parentibus, & conſanguineis educentur, facilè ab eis diſcunt ſuperſtitionē Iudaicam: vt enim Cicero primo Officiorum inquit; Plerunque parentum præceptis imbuti filij, ad eorum conſuetudinem moremq́ue deducuntur; & iuxta Theognidis ſententiam: Iuſta docent iuſti, prauis conuixeris, antè quæ fuerat probitas, protinus effugiet. Sed de his alibi plura. Iure igitur ſtatutis præcaueri potuit, ne huiuſmodi homines in eccleſiis quibuſdam beneficia eccleſiaſtica poſſiderent.

DE CAVSSA DECIMA-*ſexta.* *Cap.* 49.

ACCEDIT & illud apoſtoli Pauli

in

in epiſtola ad Titum cap. 1. dicentis: Sunt multi inobedientes, vaniloqui, & ſeductores, maximè, qui de circunciſione ſunt. vbi Theophylactus adiungit: His quidem & Dominus præſidendi exprobrat cupiditatẽ, qui vel poſt fidem ſuſceptam id morbi nihil omiſerunt. & diuus Thomas enarrans verba illa, (Maximè qui de circunciſione ſunt) inquit, qui cogebant homines Iudaizare. vetus ergo & antiquum eſt recenter conuerſis ex Iudęis ambitioſos, inobedientes, vaniloquos, & ſeductores eſſe. Meritò igitur à quibuſdam eccleſiaſticis beneficiis arcentur & eiiciuntur.

De cavssa decima-ſeptima. Cap. 50.

Habent maiori ex parte hi, qui ex circunciſione ſunt, vitia quædam peculiaria, ac præ cæteris frequentiora: quam ob rem non ſolum à quibuſdam eccleſiis cathedralibus, ſed etiam ab omnibus collegiis ſcholarium, ab aliquibus monaſteriis, & ſodalitatibus iure quàm optimo in Hiſpania excludũtur. Sunt enim ambitioſi honorum, atque dignitatum cupidi, (vt iam antè dixi) quod vitium hereditarium ferè illis ineſſe videtur. Nam de

Matt. 23. Scribis & Phariſæis Saluator noſter inquit: Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab omnibus Rabbi. & alibi: Cauete à Scribis, qui volunt in ſtolis ambulare, & ſalutari in foro, & in primis cathedris ſedere in ſynagogis, & primos diſcubitus in cœnis. quod & apud Lucam bis repetitum extat. *Mar. 12.* *Luc. 11. & 20.*

Et Oecumenius in epiſtolam Pauli ad Titum inquit: His qui ex circunciſione ſunt, etiam Chriſtus obiecit, quòd principatum ambirent, qui poſt ſuſceptam quoque fidem morbum hunc non relinquebant.

Sunt quoque inquieti, moroſi, ſeditioſi, & qui ſeminare diſcordias ſolent: quæ vitia maiorum quoque ſuorum fuere, qui appellati ſunt à Domino ſerpentes, genimina viperarum; & à propheta Regio, generatio praua, & exaſperans. an quietiores, melioréſve ſint apud alias nationes, ipſæ viderint, atque eos ſibi habeant: nos quidem tales eſſe eos in Hiſpania, quales iam diximus, aſſiduis experimentis compertum habemus. *Matt. 23.*

Iure igitur ſtatuta ea fiunt, vt in collegiis, & capitulis (vt vocant) ſine iſtis cum tranquillitate & pace viuatur: tantum abeſt, vt propter ſtatuta oriātur ſchiſmata,

Digitized by Google

mata, vel diſſenſiones, vt iſti fingunt.

De eadem re.
Cap. 51.

Hi quoque, qui ex circunciſione ſunt, cærimoniis vanis gaudent, & eas curioſè obſeruant. Præterea conſpirationibus, ſeditionibus, & factionibus omnia interturbare ſolent; neque id nouum eſt: nam iam olim contra regem, & regnum Hiſpaniæ coniurarunt, vt in concilio Toletano 17. conſtat, in cuius capite octauo hoc decretum extat.

Quoniam Iudæorum perfidia non ſolum tunicam ſacri baptiſmatis Chriſtiani, quam ſuſceperat, maculauit; ſed etiam contra regem, regnumque conſpirare auſi ſunt: ſuis omnibus rebus nudati, tam eorum perfidorum perſonæ, quàm vxores eorum, ac filiorum, & reliquæ poſteritatis, per cunctas Hiſpaniarum prouincias ſeruituti ſubiaceant perpetuę, maneantq. vſquequaq. diſperſę; illique qui eoſdem Iudæos in ſeruitutem acceperint, in nullo eos permittant rituum ſuorum cærimonias celebrare.

Temporibus quoque Regis Ioannis eius nominis ſecundi, Marrani coniurauerunt cōtra præfectum vrbis Toletanæ,

& cõtra veteres Chriſtianos, volentes eos occidere, atque vrbem ipſam occupare, vt palam ad Iudaiſmum redirẽt. quòd idem bis in eadem vrbe commiſiſſe dicuntur tempore Fernandi, & Iſabellæ Regum verè catholicorum. & niſi retectæ coniurationes fuiſſent, magnas veterum Chriſtianorum ſtrages edidiſſent.

Equidem in hiſtoriis Hiſpaniæ me legiſſe memini, nouos iſtos Chriſtianos (ſiue pſeudo-Chriſtianos) intra opidum Valliſdolit ſæpè cum antiquis Chriſtianis prœlio dimicaſſe; quin etiam vidi ego lites ciuiles & criminales inter vtroſque, quia noui Chriſtiani ſub nomine quodam ruanorum, quò prætendebant ſe ciues eſſe ac præcedere volebant Chriſtianis veteribus, quos vocabant agricolas: ſed iuſtè rejecti, damnatique fuere.

De cavssa decima-octaua. Cap. 52.

Ex ſuprà ſcriptis omnibus, aliiſque multis perſpicuum noſtratibus eſt, nouos iſtos Chriſtianos parum idoneos eſſe, vt cum nobilibus & antiquis Chriſtianis in eiſdem collegiis habitantes, tranquillè, atque in pace ſimul viuant. ex ea quippe generatione deſcendunt, quam eſſe

inquie-

inquietiſſimam, Egeſippus eſt auctor, lib. 2. de excidio Hieroſolymitano.

Noui ego duos iudices ex circunciſione, vnum Valdoliti, qui multa ſeminauit zizania inter quindecim collegas nobiles, & antiquos Chriſtianos; alterum Cordubæ; qui cùm eſſet vicarius epiſcopi, magnis litibus ac diſſenſionibus totam illam eccleſiam veterum Chriſtianorum inuoluit: de vtroque autem obſeruatum fuit, quod pro nouis Chriſtianis contra veteres, quo iure, quáue iniuria, ſemper ſententias ferebant.

Qua in re maiorum ſuorum veſtigia ſequebãtur. apud quos ita ſcriptum erat: Si Iudæus & Chriſtianus venerint coram te litigantes pro iure ſuo, reſpice ſi per legem Iudaicam potes pro Iudęo ferre ſententiam;& vbi nullam inuenias, ſi per leges Gentium inueneris ſecundum eas in Iudæi fauorem iudicato, dicens Chriſtiano, ita fieri mãdat lex tua. quòd ſi neutris eorum legibus poteris Iudæo fauere, cautelis & fallaciis, ne ſententiam pro Chriſtiano feras, te disbrigare curabis; quia Iudæis licitum eſt à Chriſtianis pecunias extorquere. hæc retulit Finus Hadrianus in flagello contra Iudæos lib. 9. cap. 7. *Vide in Actis Apoſt. de D. Paulo hiſt.*

Quòd ſi plures ſimul conuenerint, tunc contra antiquos Chriſtianos omnes

vnum

vnum ſunt, vna eſt omnium ſententia; omnes idem ſentiunt: in eo autem ſimiles porcis, quòd vno eorum grunniente, ſtatim cæteri quoque grunniunt, ac ſeſe tuentur inuicem.

Cùm verò rixatur alter cum altero, benignè admodum digladiari ſolent: Aiunt quidem duos ex circunciſione eminus pugnaſſe, & in ipſo dimicationis feruore alterum punctim aërem percuſſiſſe; alterum verò anxium dixiſſe: Tu me punctim cædere volebas? non ſic ego te cæderem, nec tam crudelis contra te fuiſſem.

Extat (vt audio) lex quædam oppidi de Maqueda, in quo inſignis olim ſynagoga fuit, cui⁹ hæc dicũtur eſſe verba: Si Iudęus Chriſtianum occiderit, hac pœna afficiatur; ſi Chriſtianus Iudæum occiderit, illa pœna puniatur: Si Iudæus Iudæum occiderit; ſed non occidet; tanquam de re impoſſibili legem ferre in ea ſpecie non voluerunt.

De cavssa decimanona. Cap. 53.

Si in collegiis ferè omnibus ſcholarium Hiſpaniæ, & etiam in collegio Hiſpanorum Bononiæ, non admittuntur

hi qui

hi qui ſunt ex circuncisione, neque in monaſteriis ſancti Hieronymi, neque ſancti Franciſci de Padua, nec in ſucceſſione multorum primogeniorum, ſiue maioratuum, neque in officiis ſanctæ Inquiſitionis, neque in militiis ſancti Iacobi, ſancti Ioannis, & item in aliis, quin etiam neque in multis confraternitatibus, (vt vocant;) & ea omnia ſtatuta confirmata, & recepta, & vſitata ſunt: multo rectiùs fieri potuit ac debuit ſtatutum hoc Toletanum; & eo magis, quòd in eccleſia illa celebertima non ſolùm crimine apoſtaſiæ & hæreſis, ſed etiam earum ſuſpicione clericos carere oportet; ac multo id magis, quàm Cæſaris domeſticos aliis ſuſpicionibus carere debere Iulius ipſe Cæſar iudicauit, vt apud Suetonium eſt in eodem Caio Iulio, cap. 74.

DE CAVSSA VIGESIMA. *Cap.* 54.

ALIA quoque ratione defenditur ſtatutum Toletanum, nempe quia ſi priuilegiis Pontificiis, & legibus Regiis nemo in Hiſpania poteſt beneficia eccleſiaſtica poſſidere, niſi ex Hiſpania oriũdus, & indigena ſit, quin etiam intra ipſam Hiſpaniam, qui ſunt ex regno Aragoniæ, in aliis regnis alienigenæ ſunt, & contrà;

contra; atque ea è republica, & iuſta eſſe fatentur omnes: igitur multo magis iuſtum eſt ſtatutum Toletanum.

Ad hæc, in epiſcopatibus Hiſpaniæ Burgenſi, Palentino, & Calagurritano beneficia non conferuntur, niſi indigenis vniuſcuiuſque municipij: nec ſatis eſt, vt ſint ex eodem epiſcopatu, niſi etiam ſint ex eodem loco. & conſtitutiones, quibus id ſtatuitur, valde vtiles & iuſtas eſſe, nemo eſt, qui non probè norit. Quid his reſpōdere poſſunt impugnatores Toletani ſtatuti? niſi fortè dixerint hęc omnia eſſe contra ius diuinum & naturale, contra ius pontificium & ciuile, & cætera, quæ contra illud ſtatutum proferre ſolent.

Quanto probabiliùs non ſolum alienigenæ, ſed etiam indigenæ dicere poſſent: Nos nobiliores ſumus quàm illi, doctiores ſumus, & magis idonei; & tamen excludimur, & illi admittuntur. ſed quia conſtitutiones illæ iuſtis ex cauſſis factæ ſunt, iuſtiſſimè cuſtodiuntur, & vigent, talibus querelis reiectis.

Vnde liquidò perſpicitur, qualia ſint iſtorum argumenta, dicentium: Si poſſumus eſſe Cardinales & Epiſcopi, & ſummi etiam Pontifices; multo magis eſſe debemus canonici Toletani: id enim bene ſequere-

Digitized by Google

ſequeretur, ſi nihil eſſet quod obſtaret. Sed torqueri quidem in eos argumentum hoc modo poſſet: Si rectè vetitum eſt ne poſſideatis beneficia eccleſiæ Toletanæ, multo rectiùs prohiberi poſſet, ne Cardinales, aut Epiſcopi, aut ſummi Pontifices eſſe poſſitis. Certè princeps Apoſtolorum, cùm adhuc multi diſcipuli & ſancti viri ex circunciſione ſupereſſent, neminem eorum ſibi ſucceſſorem elegit, ſed tres viros ex Gentilibus omnes.

Hinc etiam patet, qualis fuerit monachi illius cauillatio, qui contra ſtatutum Toletanum vehementer exclamans, dixit: Videte quàm iuſtum ſit ſtatutum, quo ſtante, ſi Chriſtus veniret in mundum, non poſſet eſſe canonicus Toletanus. O impudens os ſophiſtæ! qui vt populo fucum faceret, veritus non eſt aduentu quodã imaginario Domini maieſtatis abuti; non ignorans, quòd ab impoſſibili ſequitur quidquid libet. Argumentum denique tale eſt, ac ſi dixiſſet: Iniqua ſunt iura prohibentia, ne quis beneficia multa poſſideat; quia ſi Chriſtus Dominus veniat ad nos, plura eccleſiaſtica beneficia habere non poterit.

Digitized by Google

DE CAVSSA VIGESIMA-prima. Cap. 55.

L. 14. ff. de muneribus — In honoribus atque dignitatibus diſtribuendis, in primis conſideranda eſt perſona, item origo natalium; vt rectè Calliſtratus cenſuit: & ſicut in corporibus perniciofum eſſet, ſi cibo, aut veſte pari homines impares vterentur; ſic eſt de honoribus ſtatuendum, auctore in Politicis Ariſtotele. Lib. 3. ca. 12. — Cùm ergo noui Chriſtiani in origine natalium, aliiſque multis non ſolùm impares ſint nobilibus, ſed etiam vetuſtiſſimis Chriſtianis, non iniuria repelluntur à quibuſdam honoribus & beneficiis, quæ ſolis nobilibus, & honeſtis Chriſtianis per ſtatuta deferuntur.

Huc accedit quod ſcribit Plinius lib. 2. Epiſtolarum: In tanta hominum inæqualitate nihil eſt tam inæquale, quàm æqualitas ipſa. & iterum lib. 9. eiuſdem operis, ait, cuſtodienda eſſe diſcrimina ordinum ac dignitatum; quæ ſi confuſa, turbata, permixta ſint, nihil eſt æqualitate ipſa inæqualius. & Philo Iudæus lib. 2. de monarchia: Æqualia dignitate imparibus tribuere, eſt inæqualitas; inæqualitas verò fons malorum.

DE

DE CAVSSA VIGESIMA-ſecunda. Cap. 56.

VETERES, & antiqui Chriſtiani legitima & iuſta hereditate iam diu acquiſierunt legem euangelicam; nouitij verò non item: quid igitur mirum, ſi in quibuſdã eccleſiaſticis beneficiis illi præferantur? diuus Thomas enarrans verba Pauli, ſalutate concaptiuos meos, qui ſunt nobiles in Apoſtolis, & ante me fuerunt in Chriſto Ieſu, inquit: Prius enim fuerunt conuerſi, quàm ipſe apoſtolus; & ex hoc eis maior reuerentia debebatur: & ipſemet apoſtolus magnifacere videtur fidem à progenitoribus deſcendentem, cùm ad Timotheum ſcribens, laudat eius fidem, quæ habitauit primùm (inquit) in auia tua Loide, & matre tua Eunice. *Rom. 16.* *2. Timo. 1.*

Beatus quoque Ambroſius explicans illa verba, ſacerdos quidam nomine Zacharias, & cætera, ita ſcribit: Docet nos ſcriptura diuina non ſolùm mores in iis qui prædicabiles ſunt, ſed etiam parentes oportere laudari, vt veluti tranſmiſſa immaculatæ veritatis hereditas in his, quos volumus laudare, præcedat. Quæ enim alia intentio hoc loco ſancti Euangeliſtę, niſi vt ſanctus Ioannes Baptiſta nobilitetur pa- *Luc. 1.*

tur pa-

Digitized by Google

tur parentibus, miraculis, moribus & munere paſſionis ? Sic etiam ſancti Samuel mater Anna laudatur: ſic Iſaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam poſteris reliquit. Sacerdos itaque Zacharias, non ſolùm ſacerdos, ſed etiam de vice Abiæ, id eſt nobilis inter ſuperiores ſemine; & vxor eius, inquit, de filiabus Aarō: non ſolùm igitur à parentibus, ſed etiam à maioribus ſancti Ioannis nobilitas propagatur.

Huic & accedit Venerabilis Beda in eundem locum inquiens; erant autem iuſti ambo ante Deum: Iuſtis quippe parentibus erat genitus, vt eo confidentiùs iuſtitiæ præcepta populis daret, quo hæc ipſe non quaſi nouitia didiciſſet, ſed veluti hereditario iure à progenitoribus accepta ſeruaret.

Sic etiam Tobias, cap. 2. inquit: Nolite ita loqui, quoniam filij Sanctorum ſumus, & vitā illam exſpectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuā nunquam mutant ab eo. Demum quotquot Sanctorum vitas ſcribunt, omnes quoties poſſunt, eorum genus laudant: quia bonis & nobilibus natum eſſe parentibus, præclarus eſt magnificusque theſaurus.

DE CAVSSA VIGESIMAprima. Cap. 57.

MAIORES noſtri nobiles, & Chriſtiani antiquiſſimi, per octingentos plus minus annos perpetuis bellis ſanguinem ſuum fundentes, Hiſpaniam totam è manibus Mahumetanorum eripuerunt, & Chriſtianam rempublicam bene fundatam nobis reliquerunt.

Maiores verò iſtorum Iudæi perfidi, eo tempore toto (animus meminiſſe horret) Chriſtum Dominum ter ſingulis diebus diris execrationibus blaſphemantes, Chriſtianos omnes perdere vellēt: quemadmodum Finus Hadrianus in flagello contra Iudæos memorat, lib. 7. cap. 27.

Iudæi (vt iam antè dixi) propter religionis noſtræ odium ſemper Chriſtianos perſecuti ſunt, & olim permiſſu Iuliani apoſtatæ fecerunt in Chriſtianos longè peiora atque atrociora, quàm Græci ipſi: vt Nicephorus auctor eſt lib. 10. Eccleſiaſticæ hiſt. cap. 11.

Iudæorum natio infeſta ſemper Chriſtianis eſt, pietatemque ſe præſtare Deo perſuaſum habet, ſi quàm plurium nobis malorum cauſſa ſit: vt eſt apud eundem Nicephorum lib. 14. cap. 14.

Iudæi quoque poſt quadringentos ferè

annos

annos à Chriſti paſſione librum Talmud confecerunt, in quo aduerſus Chriſtianos acerbiores leges cõdiderunt, quàm Nero ac Domitianus, & quàm tyranni crudeles cæteri. *inter alia verò licitum eſſe Iudæis, aiunt, Chriſtianum quemlibet interficere, quantacunque bonitate, dignitate, aut conditione præfulſerit*: vt in eodem opere Finus Hadrianus ſcripſit, lib. 9. cap. 10. & cap. 20.

Cùm igitur noui Chriſtiani iſti non ſolùm ex Iudæis illis, ſed etiam ex apoſtatis nati ſint; cùm tot iuſtæ cauſſæ concurrant, propter quas ea ſtatuta fieri, & confirmari debuerint; cur magis queruli & implacabiles ſunt, quàm hi, qui ex Mahumetanis deſcendunt? quandoquidem Sarraceni, & veraciores, & fortiores, & meliorum morum, quàm Iudæi ſunt.

RESPONDETVR ISTORVM *querelis.* *Cap.* 58.

SEMPER in ore habent, multos nouos Chriſtianos bonos eſſe ac doctos, atque reipublicæ, & eccleſiis vtiles: non id negamus; ſed non ideo minus iuſta ſunt ſtatuta, quæ pluribus proſunt, & quæ cùm generalia ſint, particularia reſpicere nequeunt. Satis enim legi eſt, ſi in communi

communi proſit, quamuis aliquibus officere videatur. *L. nam ad ea de legib.*

Adde quòd eadem dicere poſſunt hæreticorum filij, & eorum qui maieſtatis crimine infecti fuerunt; item filij presbyterorum, & illegitimi, ac denique omnes quotquot ſine culpa, ſed non ſine cauſſa, damnis temporalibus afficiuntur. ergo cum eorum cauſſa coniungant ſuam, ac ſeſe mutuo conſolentur.

Sed addunt iſti, aliorum damna eſſe temporalia, ſua verò perpetua: Reſpondeo ſua quoque temporalia eſſe futura, ſi quieuerint, ſi non redierint ad vomitum, ſi non ſe ingeſſerint rebus ad ſe non pertinentibus: inde enim parentum ſuorum memoriam excitare ſolent.

Catholici ſint, quieti, pacifici, modeſti, ac bonis moribus præditi, & intra non multos annos pari iure cum Chriſtianis veteribus viuent. nemo ferè certò ſcit, qui fuerint ſui maiores ante quadringentos annos; pauci verò numerare ſuos poſſunt ante ducentos. Generatio præterit, & generatio aduenit: non eſt priorum memoria; ſed nec eorum quidem quæ poſtea futura ſunt, erit recordatio apud eos, qui futuri ſunt in nouiſſimo. *Eccleſ. 1.*

Interim verò ſi nobiles eſſe volunt, in

F ſtudium

ſtudium virtutum incumbant, ex quibus quidem verior nobilitas conſtat. Rectè, vt pleraque omnia, Seneca lib. de moribus ſcriptum reliquit: Nobilitas animi eſt generoſitas ſenſus, nobilitas corporis, generoſus animus. & Philo lib. de nobilitate: Nobiles dicendi ſunt ſoli prudentes & iuſti, etiam ſi ex vernis, aut empticiis nati ſint. Demùm (vt alia omittam) diuus Hieronymus quadam in epiſtola ſcribit: Sola apud Deum libertas eſt, non ſeruire peccatis: ſumma apud Deum nobilitas eſt, clarũ eſſe virtutibus.

DE SVCCESSIBVS *Toletani ſtatuti.*

Cap. 59.

QVANDO prima diſceptatio de ſtatuto eſt orta, Marrani quidam ſcripſiſſe dicuntur ad ſynagogas Africanas, vt precarentur Deum, ne permitteret vt ſtatutum confirmaretur; & hoc intellexiſſe comitem Alcaudeti, qui in Africa præerat, audiui ego à viro quodam religioſo, & integerrimo; qui adiungebat, non potuiſſe comitem plena probatione id ſcire, quia res fuit occulta: ſed cùm orationes Iudæorum abominandæ ſint, & execrabiles, exauditæ non fuere, ſed ſtatutum obtinuit.

Cæterùm quia hi, qui ex circuncisione ſunt, quieſcere nequeunt; poſt viginti annos ſubmiſerunt cõcionatorem quendam eiuſdem generis, qui ſub ſanctitatis prætextu Romæ contra ſtatutum vehementiſſimè declamaret, habuitq́ue maiorum gentium fautores aliquot. Sed cùm malam cauſſam malè ageret, vſque adeò excæcatus eſt, vt propoſitiones erroneas & hæreticas palàm prædicare non erubuerit. quamobrem in carcerem ſanctæ Inquiſitionis coniectus, tandem ab illuſtriſſimis Cardinalibus, conſulto ſummo Pontifice Gregorio 13. damnatus fuit, vt palinodiam caneret: quam ipſe publicè in pulpito ædis ſacræ diui Iacobi (quam Hiſpanorum vocant) ex libello recitauit his verbis:

Ego Alphõſus ordinatione ſancti officij venio ad reuocandum aliquot errores, quos dixi prædicando, & ad ſatis faciendum ſcandalo, quod ex eo natum eſt.

Ac primùm, prædicando de ſtatuto eccleſiæ Toletanæ, quod prohibet, vt nullus ex genere Iudæorum, aut Mahumetanorum poſsit in dicta eccleſia habere officium, beneficium, vel dignitatem: Ego dixi, quòd tale ſtatutum erat vna hæreſis, & quòd illi, qui afferebant illud confirmatum ex Roma, afferebant vnam

hæreſim confirmatam. Nunc autem dico, quòd in eo aſſerendo erraui, & vt errorem reuoco, & dico, quòd dictum ſtatutum, & ſua confirmatio ſunt bona. Et ſtatim reuocauit alios duos errores. Acta fuerunt hæc die ſancti Martini XI. Nouembris, anno Domini M. D. LXXII. coram clero & populo, præſentibus duobus Commiſſariis, fiſcali, & notario ſancti officij.

LECTO-

Digitized by Google

LECTORIBVS BENENATIS.

VIx *dum opuſculum hoc typis excuſum Venetiis fuerat, cùm quiſpiam ex his, vt apparet, quos dolor iſte tangit, manifeſtis calumniis illud infamare tentauit, confingẽs ea quæ nec per ſomniũ quidem in mẽtem mihi venire potuerunt*: Sed *quia pleraque omnia ſunt indigna relatu, & reſponſione non indigent, poſtremum dumtaxat caput breuiter confutabo. Proſcindit in vniuerſum* (*inquit*) *genus Iudæorum etiam ſanctorum, & ſanguinem omnium pretioſiſsimum viliſsimè tractat; cùm tamen nobiliſsimum ſit, quod Chriſtum genuerit, beatam Virginem, & Apoſtolos; & ſi tandem ipſum occiderint. Hæc ille. Qui verbis quidem ſuis planè ſe prodit, & ſuum genus manifeſtum facit;*

ægrè etenim fert, vt genus Iudæorum etiam nūc proſcindatur: id quod non aliis verbis, quàm ſcripturæ diuinæ à me factum eſt. Iam verò ſi diſplicent ei verba noui Teſtamenti, ſaltem ea, quæ ex veteri protuli, reuereri debuiſſet. Quòd ſi nec vetus teſtamentum ei placet, equidem cum eo diſputare non auſim. Cæterùm, qui ait, genus Iudæorum non fuiſſe, ſed eſſe nobiliſſimum, etiam ſi Chriſtum Dominum occiderit; is vehementer ſynagogam ſapere mihi videtur: quamobrem, vt cum ſui generis hominibus de hoc conqueratur, mea eum ſponte relinquo. Vos autem bono & incontaminato genere natos lectores admoneo, non de ſtatuto Toletano dūtaxat, ſed de omnibus prærogatiuis, quibus iure fruimini, controuerſiam hāc fore: eò enim tendunt iſtorum omnium machinæ, argumenta, & finis. Obſiſtite igitur

mecum

mecũ pro virili parte conatibus eorum inuerecundis, & honorificam defendite cauſſam: Etſi enim (vt ſuſpicor, atque coniecto) deinceps iſti mihi magis futuri ſunt implacabiles, interim tamen conſolabor ob ea, quæ apud virum quendam doctum me legiſſe memini, paucis quidem verbis commutatus, qui ita ſcriptum reliquit: Malitia frequenter quidem vincitur, nũquam autem placatur. Audi ergo homo fidelis qui contra Phariſaicos iſtos contendis, ſi Phariſæi à Chriſto Domino victi placati non ſunt, & tu certando potes illos placare, cùm viceris? Numquid fortior Chriſto es, & quos ille non placauit, tu placabis? Valete.

FINIS.

Digitized by Google

Hic libellus Toletani ſtatuti defenſorius doctiſſimè conſcriptus, & variis ſcripturarum locis explicatis, & hiſtoriis doctorumque ſententiis, atque grauiſſimis rationibus confirmatus, ad eccleſiæ de bonis miniſtris prouidendum vtiliſſimus eſt. in ipſo quoque nihil continetur, quod ſanctæ catholicæ Romanæ eccleſiæ religionem, vel bonos mores offendat; & dignus eſt qui imprimatur.

Ita eſt Henricus Zebertus Dunghen Canonicus Antuerpienſis, S. T. doct.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google